

cm  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29

Det här verket har digitaliseringen vid Göteborgs universitetsbibliotek.

Alla tryckta texter är OCR-tolkade till maskinläsbar text. Det betyder att du kan söka och kopiera texten från dokumentet. Vissa äldre dokument med dåligt tryck kan vara svåra att OCR-tolka korrekt vilket medför att den OCR-tolkade texten kan innehålla fel och därför bör man visuellt jämföra med verkets bilder för att avgöra vad som är riktigt.

This work has been digitised at Gothenburg University Library.

All printed texts have been OCR-processed and converted to machine readable text.

This means that you can search and copy text from the document. Some early printed books are hard to OCR-process correctly and the text may contain errors, so one should always visually compare it with the images to determine what is correct.



GÖTEBORGS UNIVERSITET

JOHANNIS MESSENII  
SCONDIA  
ILLUSTRATA,

*Sen*  
CHRONOLOGIA DE REBUS SCONDIAE  
*Tam Ecclesiasticis quam Politicis,*  
ab Anno CHRISTI MDXCII. ad MDCXII.

*Inter*  
POTENTISSIMOS SUECIÆ REGES,  
SIGISMUNDUM & CAROLUM,  
gestis.  
TOMUS VIII.



STOCKHOLMIÆ,  
Typis OLAVI ENÆI, ANNO CHRISTI M. DCCII.

## PROGRAMMA.

Quām magni meritō putatur esse  
Momenti , sine classici tumultu  
Res , acquirere regios honores ,  
Regum , CAROLE , stella Suecicorum ,  
Exemplo patescit Tuo sat orbi :  
Nam si pax Tibi sceptra contulisset ,  
Quām felix Patriæ throno fuisses  
Usus ; Patria quāmque Te regente  
Felix , heu dolor , extitisset omnis !  
Cūm donis decoratus universis  
Regum florueris . Sed in tumultu  
Tanto , dotibus haud licebat uti.  
Martis præcipue micabat ausum ,  
Et quæ concomitantur arma dotes ,  
Perpes quæ Tibi nomen appararunt ,  
Aurato calami stylo exarandum .



## CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ TOMUS OCTAVUS.

Nno M.D.XCII. Regius post  
biduum obitus primò in vulgus emanavit,  
& interim Regina Gunila , sibi & filio prospectura,  
opes , nobilioremque mariti supellectilem , ex castro  
in oppidum quantociùs deportatas sedulò accumula-  
vit ; Deinde missò ad Carolum Duce m , XIX. No-  
vembris die , Petro Jonæ , stabuli Regii Magistro , de morte ipsum , Tel-  
gæ morantem , fecerat Regis certiorem . Qui proindè actutum advo-  
lans Stockholmiam , cum præsentibus ibi Consiliariis , Claudio Bielche ac  
Georgio Posse , sicut etiam Olavo Svercherio Secretario , & Simone Phar-  
macopæo , graviter expostulavit , quòd non ità tempestivè sibi fratribus  
cum morte colluctantis indicassent imbecillitatem , ut ipsi antè obitum  
congressus , ad testamentum condendum , & melius de negotiis regni  
omnibus disponendum , hortari eum potuisset . Nec minus acerbè vi-  
duam compellavit Reginam , propter expilatum nimis avarè Cimeliar-  
chium & spoliatum vestiarium , Regiumque haud pro dignitate orna-  
tum funus . Ac licet his , sicut & aliis de causis , mandaverit , ut castro  
illa migraret , tamen imperterrita remansit , donec marito parentasset .  
Verùm Carolus pullo mox habitu assumpto , Regis etiam tectis luctum  
induxit ; Captivos utriusque ordinis Ecclesiasticos nimirum & Politicos  
ex vinculis eduxit , pristinâ donatos libertate , non authoritate , præter  
illos quinque Regni Senatores . Enimverò recordans se gratiam ipsis  
suam , ante sesquiannum spoondisse , & non ignorans , fratrem aliquanto  
ante obitum tempore offendam iisdem condonasse , hancque Regem Si-  
gismundum illis à parente clementiam impetrasse , & collaudasse , voca-  
tos Stockholmiam , Hogenschildum Bielche , Gustavum Baner , Ericum  
Sparre , Stenonem Baner & Thuronem Bielche , gratiæ , officio ac bene-  
ficio restitutos pronunciavit .

Quandò etiā reliqui Senatorum , illuc acciti , promptè conflu-  
xerant , & jussu Principis , residuam Regis supellectilem fideliter perlū-  
stratam , in catalogos retulerant , Regi Sigismundo hæredi , & cohæredi-

## 4 CHRONOLOGIÆ SCONDIANÆ

bus propediem communicandos. Inprimis autem proprium ablegat Dux Carolus servitorem in Poloniam, nomine Petrum de la Colle, Regi de parentis obitu significaturum, deque aliis quibusdam negotiis consulturum. Deinde XXV. Novembbris Johannem Kranium, demortui fratris Secretarium illuc similiter expediens, fidam spondet operam novo Regi, in administrando Sueciæ Regno, donèc ipsimet advenire liceret, & hujus suscipere gubernationem, integrum esset; Quando jura privilegiaque, sibi & ordinibus Regni cæteris vicissim ab illius Majestate citrâ tergiversationem confidit roboratum iri. Præterea cum non consultum videretur, ut regiæ diu prorogentur exequiæ, & præsertim ad calidiora æstatis tempora, illarum suadens maturationem, tempus exquirit, ipsisq; si non posset interesse, ut missò tempestivè Legato, parentationem absolveret. Demum Regi Sigismundo in memoriam revocat, promissum parenti non ita pridem factum, de præmovenda inter Suecos & Moscos transactione, flagitatque ut Polonorū fretus auxilio hostem ad pacem, vel prolixiores nobiscum inducias, quantocius faciendas, permoveret. Porro ante hujus abitum tabellionis, Princeps magnoperè subveritus, nè Rex Sigismundus, à Polonis super Estoniæ Ducatu Lithuaniae incorporando, vehementius modò compellatus, majorem quam ha-  
etenùs illis faceret illius obtinendæ spem provinciæ; Velut etiā literaria hoc de negotio Regis Sigismundi obligatione, cautioneque, ante quadriennium ob-signatis, animatus, harum vigore mandavit Estoniæ Ca-  
stellanis, ut etiamsi Regias Poloni literas, violenter extortas, super Estoniâ suo dominio assignanda, præsentarent, ipsis tamen Provinciæ munitiones & ditiones, nullatenus prodendas intelligerent.

Ideoque per nominatum anteā tabellarium illius Majestati de hac re simul perscripsit, orans nè illam sinistrè interpretaretur, nec fideret delatoribus, aut priùs ex Poloniâ discederet, quam suis in absentiâ rebus optimè foret prospectum, & in pacificationis negotio inter Suecos ac Ruthenos, Polonis sequestribus, aliquid esset effectum, prout relatione Johannis Kranii, exactius ista foret aliaque Rex cognitus, regni negotia; Cujusmodi simul esset illud, de moneta nobiliore cedula, & ignobiliore abroganda. Cæterum Comes Axelius, propter mandatum Ducis, Estoniæ præsidibus datum illum vocans in suspicionem affectati diadematis, cæpit Vestrogothos admonere sponsonis Regi Sigismundo frequenter factæ, ad rebellandumque Ducis Caroli dominio commovere. Unde Princeps commotus, Comiti velut patriæ perturbatori minatur pœnam, nisi quantocius hujusmodi seponeret factiones, ad reliquumque se conferret Senatum Stockholmiam, quò sæpius esset antea citatus. Verum ille non confidens adversario, in Poloniam festinat, protectorias Regis nactus literas, domum indè remeat.

Interea Dux subveritus nè Rex Sigismundus ipsum Vestrogothiæ, aut Finlandiæ, designaret Gubernatorem, & Comes ita graviores ibi tumultus concitaret, Rectoribus ac Prætoribus istarum mandat regionum, ut licet hujusmodi ornatus potestate rediret; nullam tamen ipsi obedientiam exhiberent.

Cæterum paucō ante mortem Regis Johannis tempore, Olaus Gustavius, Baro à Torpa, enormium accusatus criminum, & judicio respondere non dignatus, seu potius non ausus, cum intelligeret se propterea Ducis jussu captivandum, profugit etiam ad Regis Sigismundi gremium: ubi simul cum Axilio suo amitino, multis Ducem onerat crimib⁹. Cui tales Rex dederat protectionis literas, quod in judicio compe-

petenti ad objecta sibi flagitia esset responsurus, post suæ Majestatis in patriam reditum, & interim fide hujusmodi publicâ gavisurus.

Alii verò Senatores qui cum Axelio in Regis demortui & Caroli Ducas fuerant indignatione prius constituti, ast nunc gratiæ restituti pristinæ, videlicet Gustavus Baner, Ericus Sparre, Steno Baner, & Thuro Bielche, suam Principi gratitudinem pro tanto liberationis beneficio declaraturi, Stocholmiæ XIV. Decembris illi suis promittunt literis, quod commodo illius Celsitudinis fidelissimam navaturi essent operam, incommoda & detrimenta, periculaque omnia, quantum ipsi met foret possibile sedulò aversuri, salvo tamen in omnibus articulis juramento, quo Regi essent Sigismundo, juxta hæreditariæ jura successionis obligati.

Hactenus præterea Rex Sigismundus, de paterno non adhuc factus obitu certior, XVII. Decembris misso ad patrum Jacobo Claudio, Barone ab Aminne, significat sibi parentis innotuisse infirmitatem, & propterea si quid humanitus illi accideret, quod tamen in plurimos adhuc annos prorogari ex animo cuperet, se primo vere patriam adire omnino decrevisse; Interea verò ut Dux regnum gubernare, tumultus in eo quoslibet pacare, & offensas omnibus condonare, quò postmodum adveniens, tranquillam inveniret patriam, haud gravaretur, summo perè obsecrat. Quas licet primò nanciseretur literas Dux Carolus XIII. Januarii, anno sequenti, nihilominus tamen interea, sicut etiam à fratri obitu, manum Regni gubernaculo admovit, quod Dux Johannes ob ætatem minorenem regimini non foret idoneus, ac demum quod Rex Johannes superstes, se ad regiminis consortium admisisset.

Huic itaque muneri Dux porrò satisfacturus, cum ex internuncio nuper in Russiam expedito, his diebus reverso, comperisset Moschum denique transactioni consensisse, Commissarios Senatus consilio delectos ad locum in regnorum limitibus tractationi destinatum, cum necessaria agendi potestate ablegavit. Deinde Majestati Regiæ minus conveniens esse considerans, ut fraternalm diutius in angusto, licet augusto jaceret funus conclavi, propterea primariis Regni Ordinibus Stocholmiam advocatis, illud XXXI. Decembris, ex Regio triclinio, in facellum acropolis inferiis, tali cūravit pompâ deducendum: Primò incedebant Scholastici & Ecclesiastici, cantum occinentes lugubrem. Hos sequebantur bini Marschalci, nempè Regis defuncti, & Ducas Caroli. Tertiò gradiebantur loco XII. adolescentes, genere Comites & Barones. Quartò, XLVIII. nobiles viri procedebant ordine terni. Quintò honorarii, Regis ephœbi. Sextò, Regium funus, eximio conditum sarcophago & magnifico impositum feretro, gestaverunt IV. Consiliarii & XVI. de reliqua optimates nobilitate; sed umbellam feretro impendentem, quatuor Procerum sustinuerunt. Septimò, Paternum immediate comitabatur funus, Dux Johannes solum quadriennis, ipsumque manu ducebat avunculus prænobilis vir, Axelius Bielche. Octavò, Serenissimus Dux Carolus, quem ponè sequebantur tres ipsius Celsitudinis Cubicularii. Nonò, Senatores Regni & Ducatus. Decimò, Regina Gunila vidua defuncti Regis mœstissima, per Johannem Frisiæ Orientalis Comitem, Gustavique Regis ex filia nepotem & Claudium Bielche Regni Senatorem, sororis maritum, deducta. Undecimò, Catharina superstes Regis Gustavi vidua, habens ductores utrinque Arvidum Gustavum fratrem, & Christophorum Schenck, Barones. Duodecimò, Sophia Regis Johannis soror & Magni quondam, in Saxonia Ducas vidua, utens Comitibus, Erico Abrahamio & Johanne Oxensternio, Regni Consiliariis. Decimò tertio, Christina principis

Sudermannici conjux, quam Christophorus Frisiæ & Carolus Thijustiæ Comites manu tenébant. Decimo quarto, Catharina Ducis Caroli filia, hancque Axelius Ryning & Lutbertus Caverus ducebant. Deinde nobiles matronæ & virgines, pro dignitate gradiebantur; Tandemque Senatus, populusque Stocholmensis, agmē cladebant, quod utrinque palatina Regis demortui cohors, bipennibus inversis, stipayerat.

Sic autem perlato in facellum funere, M. Olaus Vesmanniæ Præfus ex suggesto concionem habuit, in quâ tandem copiose admodum in laudes Regis defuncti excurrebat; nec ulla clarissimo, & charissimo Princi pi affingebat.

Sed funebri Regis Suetici pompa tantisper omissa, funestum Demetrii in Russia Principis, commemorabimus interitum. Erat ille, prout Tomo priori indicaveram, Johannis Basili filius postremo genitus, & frater Theodori qui successerat in dominio Russiæ parenti; Atque cum hic regimini minus esset idoneus, in eo fruebatur administrando, cuiusdam Boritii Godonovii operâ, hominis callidissimi & ambitiosissimi. Qui oportunam sibi occasionem patriæ sceptrum occupandi oblatam considerat, quod Theodorus nullus ex conjugi infœcunda hæredes suscepturus videretur; nec ea repudiata, ducere alteram permitteretur. Velut etiam quod fratrem ipsius Demetrium in ephebia constitutum trucidare machinaretur, nec scelus sibi effectu difficile futurum arbitraretur. Ac propterea istud non diutius prorogandum ratus, quosdam Demetrii servitores, muneribus corrupit, ita quod suam illi pollicerentur operam, in patrando hujusmodi flagitio. Atque ut commodius nefario satisfacerent promisso, flamas Uglicensi oppido, ubi Princeps commorabatur, noctu subjiciunt, & ipsum ad incendi progressum scelerate occidunt. Verum contrariæ assertores opinionis Poloni, asseverant beneficio tutoris seu educatoris, Demetrium evasisse mortem, locoque illius quendam figurâ & staturâ persimilem, sacerdotis filium ibi trucidatum ac tumulatum fuisse; Ipsum porro Demetrium, in quodam posteà Cœnobio ignotum adolevisse, & consilio demum tutoris Poloniā adivisse, auxili gratiâ postulandi in Godonovium, post Theodori obitum Russiæ dominium sibi nullō jure vendicantem, quemadmodum ex operis progressu constabit.

Anno MD XCIII. Ordines secundum Regii funeris translationem, ad alia conversi negotia reipublicæ, ac in primis Dux Carolus, & amplissimus Regni Senatus, postridie, nimirum Calendis Januarii, Stocholmiæ congressi fœdus hujusmodi pangunt; Quod cum Princeps Johannes, cui fratis in absentiâ Sueciæ regimenti in cumberet, huic propter teneram nimis ætatem non esset idoneus, Patrum utriusque Carolum Ducem, velut seniorem in familiâ Regiâ, & sub tali rerum statu aliis propinquiore gubernaculo patriæ moderando, consiliarii agnoscerent in absentiâ Regis Sigismundi pro Regni Gubernatore, ac ipsi propterea omnem deferrent obedientiam, promitterentque in iis negotiis, quæ in gloriam Dei Præpotentis, Augustanæ conservationem religionis, & defensionem juris Suetici, privilgiorumque ille unanimi cum ipsis consilio, concluderet, ita tamen ut juramentum, quo Majestati essent Regiæ, cum aliis regni ordinibus, obligati, nullatenus violaretur. Virissimum porro Dux Senatui spopondit, quod in majoris momenti negotiis Reipublicæ, nihil prorsus vellet, illo inconsulto, decernere, & quidquid conjunctis animis & suffragiis liberis, ita constitueretur, conjunctis

## TOMUS OCTAVUS.

7

Etsi etiam cum eo viribus , paratus esset defendere. Talia cum Duce pacta modo iniverant, Nicolaus Gyllenstern , Ericus Gustavius, Gustavus Baner, Eriçus Sparre , Claudius Bielche , Steno Baner , Thuro Bielche, Ericus Abrahamius , Benedictus Ribbing, Gustavus Oxenstern , Gustavus Biornsonius & Georgius Posse , Sueciæ Senatores.

Isto autem posito Regiminis fundamento , & reliquis Ordinum advocatis , cum his prima suscipitur consultatio de religione , quo videlicet pacto ipsis odiosum Liturgiæ usum , ex Sueticis liceret Ecclesiis, commodius extirpare , & pristinum Augustanæ Confessionis , in easdem postliminiò revocare exercitium ; Sicut etiam , quomodo omnem penitus occasionem dogmati præscinderent Catholico , nè amplius patriæ obtruderetur. His igitur de rebus post multos ultro citroque discursus , generali placuit decreto , totum ubique Liturgiæ exercitium , & quidem ante Regis adventum Sigismundi , velut illi faventis , ast Catholicæ doctrinæ adhærentis , & hanc procul dubio , patriæ obtrudere molientis , penitus abrogare. Atque pro hujusmodi religionis instauratione , concilium quantociùs publicare , in Martio Upsaliæ celebrandum ; Ubi simul Archiepiscopus esset nominandus , Evangelicæ propugnator religionis , quo Suecana diu nimis caruisset Ecclesia , suo cum detimento.

Horum verò ignarus Rex Sigismundus , & factus modò literis patrui gnarus paternæ mortis , IX. Januarii Ordinibus Sueciæ perscripsit , eam summoperè deplorando ; promissæ illos obligationis admonendo ; & sermonibus quorundam occurrendo , qui parum fidei memores forsitan , spargerent quod modicum de patriâ foret sollicitus , & quamvis esset , tamen nihil efficere suâ posse ipsum sollicitudine , nec in Sueciam pro arbitrio , integrum esse illi accedere ; Sicut etiam ubi adveniret , non boni multum ab eo Sueonibus expectandum , & præcipue in causâ religionis , illique protinus hinc in Polonię remeandum , quam non ita pridem Regno prætulisset hæreditario , & potius suscepisset. Enimverò proxima se venturum æstate in patriam , & tum incolis , Ecclesiasticis & Politicis , quælibet confirmaturum privilegia ; nulli aliam obtrusurum religionem , quam quæ annis in Suecia nonnullis viguisset , religionisvè nomine odio neminem , vel amore habendum ; Ast liberum cuique religionis arbitrium sine hujusmodi affectu , relinquendum. Protestabatur deinde quam illibenti suscepisset animo sceptrum Poloniae , id Deo in primis velut cordium scrutatori , & hominum plurimis in Sueciâ probè cognitum esse ; & nihilominus tamen duas potissimum ob causas , Polonicum capescendo diadema , patriæ commodis , gratificari voluisse. Quarum prima esset quod alias magnoperè fuisset metuendum , nè Moscus vel alter minus Suecis amicus , sceptro potitus , patriam tot armis obrutam , Estoniâ & Finlandiâ spoliaret ; Verum ut ipsem gubernaculum adeptus Poloniae , contra hujusmodi hostium molitiones Sueciam adjuvaret , & votis eventum ita hactenus respondisse , ut Moscus propter istud inter Suecos ac Polonos , vinculum amicitiae , nefariis suis non raro frustratus sit conatibus in Sueciæ perniciem directis , novaque insuper Polonorum Legatione ac exhortatione provocatus , tandem consensisset pacisci cum Sueonibus. Atque cum tractatio nunc ferveret inter Suecos & Moschos , suorum porrò causæ haud se defuturum , ut tandem patria , diuturnis nimium gravata bellis , & his liberata sub pace optatissima longissimaque suaviter admodum respiraret.

Sed alteram suscepti apud Polonos diadematis esse causam , perhibet

bet Rex Sigismundus, quod misertus patriæ oneribus, bellis propemodum obrutæ, voluerit pondus nonnihil absens sublevare potius, quam præfens, quotidianas exigendo necessitates, aggravare. Cæterum quandoquidem intelligeret, percharum sibi patruum Ducem Carolum & Regni Senatum, gubernaculo in suâ absentiâ paratos assidere, & obligatos se Ordinibus, ut præfatis obtemperent interea rectoribus, in iis omnino rebus, quas ad Suæ Majestatis emolumentum imperarent, serio mandare. Nec multo post tempore ad Regem venerat Johannes Kranckius, cuius relatione, seu potius Comitis Axelii narratione, cum Rex Sigismundus intelligeret patruum nuper prohibuisse Smalandis, Vestrigothis, Finnonibus & Estonibus, nè regiis obtemperarent literis, neque Ducis mentem aliter percepisset, quam quod nonnullam moliretur rebellionem, quosdam optimatum sibi fideliorum, arcium in Suecia designat Castellanos, & suo his mandat diplomate, ut protinus munitionum susciperent tutelam. Quibusdam quoque Estonum, similiter prescripsit; Sed in Finlandiam alegavit Johannem Sparrium, ut jumentum fidelitatis susciperet ab incolis, & pari modo prospiceret actum provinciæ munitionibus.

Hæc prima inter Regem Sigismundum & Ducem Carolum, discordiæ fuit sementis. Attamen dissimulans pro tempore Rex indignationem, XXX. Januarii per Johannem Kranckium, patruo rescripsit amicissimè, & significans tantum se novos destinasse arcibus Regni Castellanos, eâ quidem intentione, ut si prioribus à parente deputatis aliquid interim accideret humanitus, tumultus in provinciâ non orientur, obsecrat, ut nominatos ad arces dirigeret. Deinde flagitat, ut Olaus Suercherius quamprimum sibi mitteretur, & cum illo paternæ inventarium supellectilis, certusque simul catalogus, quantum ex annuis esset proventibus adhuc residuum, & quantum haecenùs expensum, ut indè, quid in promptu, & quid pro suo necessarium adventu intelligeret ac disponeret. Quanquam alia esset longe Regis intention, nempe ut cognosceret; an vera esset quorundam narratio delatorum, afferentum proventus Regni à Duce fraudulenter abalienatos. Verum quoad Legatos, quos in nuperis patruis literis asseruisset eò propediem expediundos, ibi non necessarios respondit Rex, cum Ordines Poloniæ, suæ in patriam reversioni haud reluctantates, fidelitatem absenti pollicerentur, & faustissima quæq; abituriendi comprecarentur. Sicut neq; hujusmodi necessariam propter Sueciæ negotia legationem; Siquidem veris initio, proprium huc missurus esset Legatum, & hujus operâ quælibet dispositurus; Aliquos tamen Senatorum & Nobilium cuperet ut sibi occurrerent Dantisci, decenterque susciperent, per mare deducendum, Sueticâ navium classe quam vellet ornatissimam, & circa Julii Calendas Gedani præsentem.

Atqui post hujus abitum tabellionis, Rex mutatâ sententiâ, consultius esse depræhendit, ut Orator Sueonum in Conventu Ordinum imminente Varsaviæ comparens, suam promoveret reversionem. Itaque per Henricum Nykirchium, iterum patruo scribit, ut eam demandaret Legationem Thuroni Bielche, & Olao Svercherio, in Comitiis deponendam Varsaviæ, altera Maji die inchoandis, quod ea indixisset, propter suum ad Sueones redditum, à Polonis impetrandum.

Sed Carolus ante has literas, nactus priores, istis se accommodat, & Olavum Suercherium illuc alegat, per quem sua Regi obsequia defert paratissima & fidelissima, nihil addubitans, quin illius Majestas, ubi rediret in

in patriam , quælibet incolis jura & privilegia , religionisque exercitia Evangelicæ , esset confirmatura . Secundò admonet , ut ita redditum in Sueciam maturaret , nè Poloniā in absentiâ amitteret . Tertio , cum Poloni hac provocati occasione , diu expectata , suam fortassis modò renovaturi essent petitionem super Estonia , suadet , ut eâ penitus rejectâ , Polonus conaretur permovere , ad pangendum in Moschum fœdus cum Sueonibus . Quartò , consulit Regem de provisione , habitationeque , Duci Johanni & hujus matris viduae Reginæ , assignandis . Quintò petit , ut sibi liceret ex Regni proventibus , mutuatæ quondam Regi Johanni pecuniaæ , solutionem percipere . Sextò persuadet , non displiciturum ejus Majestati , quod permissum Ordinibus , pro concordia religionis instituenda , Concilium mense Martio Upsaliæ frequentare ; Velut etiàm quæcunque in eo essent decreta , Regem deinceps benevolè confirmaturum . Septimò , idem confidit de constitutionibus Calmarnensibus , postquam essent in primis non nihil emendatæ , locupletatæ , & ab Ordinibus approbatæ . Octavò , non dubitat Regiæ satisfactum voluntati , quod Senatorum quidam libertati , gratiæ , & potestati consuetæ essent restituti , cum illos apud parentem Rex Sigismundus ipse metu sedulò promovisset , & nuper pro ipsis sibi scriptisset ; Proventibus tamen assignatis , non nisi ex arbitrio & beneplacito Regis fruituros . Nonò , graviter de fuga Comitis Axelii conquerens , ipsum varii criminis accusat , & obsecrat nè sermonibus illius fideret , vel ullam in Vestrogothiâ , seu Finlandiâ alibive demandaret commissionem , seque illarum incolis regionum perscripsisse fatetur , nè hujusmodi obtemperarent Regis mandato , quod vergeret in patriæ detrimentum . Decimò , longè gravioribus onerat criminibus , Olaum Gustavum , orans nè Rex ullum homini tam facinorofo præberet refugium . Denique flagitat , nè fidem haberet malevolis quorundam hominum sermonibus , sed relationibus crederet Olai Suercheri velut fide dignissimis .

Ita fuerat persuasus Princeps Carolus de isto homine versutissimo , qui tamen ad Regem profectus , calumniis multifariis & nefariis causam Ducis prorsus obruebat , & postea reversus inde , omnia Regis Sigismundi consilia Duci Carolo prodebat , diabolum potius agens quam hominem , seu internuncium . Sed valeat ille versipellis , non memoriâ , nec historiâ dignus ; Et nuncius Regis Sigismundi modò Romam expeditus , prodeat , per quem ille Clementi VIII. de morte significaverat parentis , & sua in Sueciam profectione , inque throno patris successione . Quandò etiàm Cæsarem super iisdem fecerat rebus certiorem , & uterque tam Pontifex , quam Imperator , Legatos mittere decreverunt . Cæterum haetenus Commissarii Sueonum , cum Ruthenicis colloquentes , licet sedulam navarent operam paci perpetuæ nobis impetrandæ ; tamen mense Februario , biennes solum inducias obtinuerunt , ita quod interim Calendis Octobris , denuò illos essent conventuri , deque stabili pace constituenda , porrò tractaturi . Nuncio autem de illa in Sueciam perlato , novis Dux & Senatus literis , quibus cum fuit missus , Petrus Erasmus , Moschum ad hujusmodi transactionem condicto tempore ineundam , serio hortantur . Nec suas tanti apud ipsum ponderis futuras , quanti Sigismundi Regis , Dux Carolus probè intelligens , Regi suarum destinat apographum , & flagitat ut eodem , vel alio tenore , in Russiam quoque non gravaretur perscribere ; Velut etiàm aliis huc directis significaret literis , quomodo de parentatione & coronatione esset disponendum , ac quandò in patriam esset certò expectandus .

Præterea Johannes Sparrius, longinquum emensus iter hactenus, & Finlandiam hoc tempore ingressus, primarios incolarum, nobiles & plebeios convocat Abogiam, hucque alacriter convolantes, Regias in primis auscultant libenter literas, quibus veteres immunitates & religionis libertatem cuique Rex Sigismundus pollicebatur, ac Finnones hortabatur, ut memores obligationis olim datae, fideles sibi, velut legitimo & proximo Suetici diadematis hæredi, permanerent, fidemque juramento sponderent. Nec Regis voluntati ullatenus reluētati, in castro Abogensi, IV. Martii die, fidam in primis subjectionem sanctè promittunt Regi Sigismundo; Deinde fœdus quoddam feriunt, de mutuo in necessitate contra quoscunque Regis adversarios subsidio animosè fendo, & simul concludunt, nullum fidei suspectæ in arces provinciæ intromittendum. Hic etiā non pauci Sueonum fuerant simul, quos inter Carolus Gustavius erat potissimus. Ait Finnonum præcipiūs fuit Claudius Flemmingius Regni Confiliarius, Marschalcus & Archithalassus.

Quamobrem licet Finnones ad Concilium essent Upsalense votati, tamen quod Regi non illud placere intelligerent, comparere noluerunt. Sueones verò & Gothi obtemperarunt citationi, ac primariis horum Ecclesiasticis Politicisque nobilibus & ignobilibus, cum Duce Carolo & Senatu Regni congregatis, Upsaliæ, inchoatur Concilium. In quo primum M. Nicolao Bothniensi Præside, Confessio Augustana ventilatur; de quibuslibet in ea fidei articulis disputatur, peroratur, & concionatur; tandemque unanimi præsentium assensu, comprobatur. Deinde Liturgia in scenam producta, refutatur & condemnatur, hujusque fautores, sectatores & defensores, catervatim præsentati, accusati, ad disceptationem provocati, errorisque damnati, culpam deprecantur, & nihilominus non pauci Clericorum beneficiis privantur, quorum unus fuit M. Petrus Paulinus, Stochomensium parochus, huicque subrogatur M. Ericus Schepperus. Atque ut nullum prorsus vestigium Liturgicæ ac Catholicæ religionis in Ecclesiâ remaneret Sueana, Sacramenti elevationem, & quasdam circa baptismi administrationem ceremonias, velut exorcismum, vestem candidam, salem & cereum, cum aliis plurimis, Concilii ordines abrogarunt; Ideoque necessarium demonstrarunt, ut Ordinantia seu Agenda & Missale ab hujusmodi emunata veteranum ritibus ac emendata, quamprimum prodirent.

Concludunt etiam & cedunt, quandam Augustanæ Confessionis Epitomen, quam cum decreto Concilii, & veterum Conciliorum, Patrumque symbolis, quorum esset unum S. Athanasii, typis postea subjiciunt. Verum XV. Martii, communibus omnium suffragiis, fuit M. Abrahamus, Hamburgi adhuc exulans, Archipræful Regni designatus, & domum solenniter revocatus, postquam annis XIII. gravissimas in exilio passus esset ærumnas. Decreto tandem Princeps Carolus, Senatus, Procerum alii, Nobiles, Episcopi, Professores, Parochi, Sacerdotes reliqui, Aulici, Consules urbium, & præsentium universi subscriptiunt, eo quidem tenore ac rigore, quod nemo alterius religionis, quam Evangelicæ, in regno esset ullibi locorum tolerandus. Ad absentes verò in quamlibet Regni provinciam, cum decreto Concilii, sunt quidam ex Clero fideliores missi, qui colligerent subscriptiones, & recusantes proderent, pro schismaticis ac hæreticis postea habendos & plectendos. Ecclesiasticis igitur negotiis Upsaliæ consummatis, Ordines Politicis se accinxerunt, ac inter alia concluserunt, ut nulla fieret ad Re-

Regem appellatio in Poloniā , nec ulla Sueticarum ibi causarum examinatio , vel judicatio ; liceret nihilominus appellare , sed ad Regem domi præsentem , & interea executionem appellationis esse suspendendam.

Utrique autem decreto esset Rex Sigismundus , antequam Sueciæ consequeretur insignia , citrâ ullam tergiversationem , excusationem vel exceptionem , omnino subscripturus , alias illis haud potiturus. Verum licet Ordines in conventu & Concilio Upsalensi , rebus itâ suis bellissimè , sibi viderentur prospexisse ; tamen adversarii non modicam indè calumniandi ansam arripuerunt , & præsertim à religionis decreto , asleverantes , ipsum satis indicare , quod velut quondam Rex Johannes suis niteretur statutis regno Papismum obtrudere , suam quoque molitionem exordiretur ab Ordinantiæ & Missalis reformatione , itâ Ducem Carolum placito Upsalensi , Sueonibus Calvinismum. Nec curarunt quod in actis Concilii & Ducis epistolâ illis præfixa , contrarium expressè contineretur. Cæterum eo temporis intervallo Johannes Kranckius ad Carolum VIII. Aprilis reversus , post XV. dies , subsequentem conspicit in Suecia Henricum Nykirchium. Postridiè verò , nimirum XXIV. Aprilis , rescribens Dux per eundem , protinus ex voluntate Regis remissum , spondet Legatum eò transmissum iri quidem , sed comitiis , ob temporis spaciū nimis angustum , ibi nequaquam affuturum ; Atque cum Olaus Svercherius illuc abiret , & nullam Georgius Palmerius , sicut neque Jonas Petrius , haberent hujusmodi rerum experientiam , sibi non suppetere , quem cum oratore mitteret Secretarium. Classem porrò tempestivè Dantisci occursuram , dummodo certūm præsciret Regii adventus diem. Admonere tamen se Regiam Majestatem , prout anteā , nè ullatenus ex Poloniâ discederet , priusquam itâ quævis ordinasset negotia , quod nullam ibi formidaret in absentia tumultuationem vel sui exclusionem ; Proinde ut melius hac in re consuleret ipsius Majestati , se cupere conditiones videre , sub quibus abeundi licentiam Poloni vellent Regi concedere.

Deinde Legato in Poloniā quantociùs expediundo se Princeps accingens , XXVI. Maji , Thuronem Bielche , idoneis stipatum comitibus , illuc ablegavit , & ipsi mandavit , ut firmissimam à Rege Sigismundo cautionem acciperet , antequam indè discederet , quod Ordinibus privilegia confirmaturus , & eandem religionis permisurus foret libertatem , quæ Gustavi ultimo , & Johannis primo regiminis tempore in Suecia floruissest , sicut etiā , ut suaderet Regi , nè pluribus comitatus adveniret , quā tenuis hoc tempore conditio Regni patetur. Præterea quandoquidem Calendis Octobris cum Ruthenis colloquium esset habendum , ut Regem consuleret Legatus , de personis eò destinandis ; nostris ibi rebus promovendis , & simul peteret , ut Regis instinctu Poloni Moschum permoverent ad transfigendum tolerabilioribus nobiscum conditionibus. Verum enimverò ad Calend. Maij confluxerant Ordines Varsaviæ , quando & Legatus Clementis VIII. Franciscus Mala-Spina , Episcopus S. Severini eò adveniens , prolixâ oratione Regi Sigismundo gratulatur in throno successionem paterno ; ad Catholicæ propagationem religionis magnoperè hortatur , & XXX. aureorum millia , teste Jacobo Typotio , pro ista in Sueciam expeditione , Pontificis nomine Regi largiebatur. Nec multo post tempore , ibidem Orator comparuit Imperatoris , qui fermè in eandem peroravit sententiam , quā nuper Pontificis ; & cum paucis ante diebus , filiam Regi Sigismundo conjux genuisset , Annam Mariam , hanc pri-

mogenitam loco Cæsar is de sacro ille levavit fonte quâ par fuerat solennitate.

Postea in Conventu Ordinum Sigismundus Rex Cancellario procuratore flagitat licentiam ad Suecos remeandi, quam ideo impetrat, quod in pactis cum Regno Poloniæ conventis, illam sibi reservasset; Sed tamen ea conditione, ut memor juramenti, Poloniæ, velut Henricus, non desereret, & reversus, constitutis in Suecia probè rebus, perpetuo ibi maneret. Tandemque super his & aliis utrinque negotiis ibi conclusis, XV. Junii mutuæ subscribitur obligationi, & indè postmodum disceditur.

Cæterum hoc tempore, Theodorus Russiæ Princeps, literas adeptus Duci Suetici & Senatus, summoperè excanduit, quod Castellano Nogardensi præterito, ausus esset Carolus Sueciæ Princeps & Senatores Suæ Majestati perscribere. Tamen in tabellarium nihil mali statuit Petrus Erasmus; quem tamen cum nullo remisit alio responso, quām literis admonitoriis, nè nostri præsumerent impostorum scriptis suam molestare Cæsaream dignitatem, nisi nova mallent sanguinis profusione multari, & fiduciâ pacis obtinendæ fraudari.

Ast Sueciæ Princeps Dux Carolus stolidam Mosci arrogantiam haud moratus, post ablegatum nuper Thuronem Bielche, classi obviam Regi mittendæ invigilat. Proptereà cum Claudius Flemmingius, Regni Admiralius, non paucas ex illâ naves secum in Finlandia retineret, eas repetivit saepius, & simul admonuit, ut tanquam Regni Senator, ac quidem Marschalcus, ad reliquum se conferret Senatum, non absentaret, vel rebellaret. Sed Claudius spretâ admonitione, identidem respondit se Regi suo morigerum, & illius Majestati cum modicâ quam illic haberet navium classè, Dantisci, vel Rigæ occursum. Inde Dux Carolus vehementer offensus, novis in Junio Flemmingium literis eadem de re compellavit, & simul classiariis mandavit, ut si Admiralius denuò relutaretur, sibi classem omnino adducerent, alias violenter indè petendam, ac nisi peculiare Regis haberent mandatum, isti contrarium, graviter ipsos & Archithalassum plectendos; Se verò apud Regiam Majestatem fore excusatum, si classis non tempestivè, nec integra, vel pro honore instructa Dantisci compareret. Flemmingius tamen haud obediens, panis actutum velis, navigat Dantiscum.

Finitis Varsaviæ comitiis, indè missus cum responso Svercherius XX. Junii, in quo spondet Rex Sigismundus, quod non ingratus esset patruo futurus, pro tantis sui causâ in Regni gubernatione molestias hactenus exantlatis; velut quoque ipsi & ordinum reliquis, itâ juris immunitatem & religionis libertatem comprobaturus, ut nulli daretur occasio conquerendi, prout etiam in nuperis ad Ordines literis promisisset. Quando prætereà suam declaraturus esset mentem de constitutionibus Calmarnensibus, videlicet ubi rediret in Patriam, & revisis simul Cameræ rationibus, patruo mutuum seu creditum exigenti, quâ conveniens esset gratitudine, persoluturus. Quod insuper captivi Senatores officio & beneficio essent restituti, se lubenter audire. Non tamen illud, quod in sua essent absentia quædam Upsaliæ decreta nuper condita, supremo Magistratu inconsulto; Quæ ideo nec possent, nec deberent rata censeri. Verum quoad Estoniam, minus Polonos de ipsa in conventu esse locutos, quam existimarentur, illisque conveniens paratum fuisse responsum, si talem molestè ursissent quæstionem. Nec visum esse consultum, prius cum ipsis de fœdere in Moschum pangendo agere, quam utrumque foret regnum

gnum sub uno Rege constitutum. Postremò quantum ad Comitem pertineret Axelium & Olavum Gustavum, se protectorias iis literas denegare non potuisse, ità tamen quod aduersariis in Regiâ essent præsentia coram judicibus responsuri competentibus. Nec ipsos Duci oblocutos, neque si calumniatores agere voluissent, illis vel aliis aurem, multò minus fidem dedisset.

Cum verò accinctus esset Sueciæ Rex profectioni, Legatos præmisit, Comitem Gustavum Brahe & Petrum Brasch, ut suo sponderent nomine Ordinibus, quod horum quilibet tam inferioris quam superioris conditionis, Ecclesiastici & Politici, suis juribus & privilegiis, consuetudinibusque citra ullam fruituri essent molestationem; Ac simul etiam admonerent Ducem, Senatumque, quo vellet pacto illius Majestas propediem affutura, cis & trans mare suscipi; quomodo parentationis ac inaugurationis follennia cuperet adornari. Quamobrem in Sueciam properarunt, & huc feliciter delati, magnâ cum laude suam deposuerunt Legationem. Quando Nycopiæ à Carolo Duce auditæ, apographum obligationis, quâ Rex Sigismundus, Polonis se obstrinxisset, illi monstrarunt. Cumque in ea promitteret, quod post suam in Suecia coronationem in Poloniâ certò redditurus, nec amplius patriam foret invisurus, id grandem patruo attulisse voluptatem, & primam affectandi sceptrum ingessisse cupiditatem, nonnulli posteâ, spargere non dubitabant. Interea Rex Sigismundus, Legatos subsecuturus, cum uxore, sorore, & Oratore Pontificis Francisco Mala-Spina, nec paucis optimatibus Poloniæ, (quorum quidam ad mare duntaxat Regem deducturi, & reliqui usque in Sueciam forent ipsum comitaturi) cohorteque palatina ex quingentis Pannonibus constante, secundo Vistulæ decursu in Prussiam contendit; Atque Toroniæ inprimis, deinde Marienburgi aliquantis per moratus, Dantiscum festinat, ubi Mense integro desedit.

Princeps igitur Carolus, cognito Regis Gedanum adventu, XXVII. Julii, binos Senatorum, nempe Ericum Sparre & Claudium Bielche, cum navium classe illuc quantociùs expeditivit. Quibus erat mandatum, ut peractâ salutatione, & gratulatione, obsecrarent Regiam Majestatem, nè tam Ordinum Suecicorum voluntati, quam temporis brevitati adscriberet, quod classis non frequentior nec apparatu excellentior sibi occurreret. Deinde si nec dum petitioni Sueonum per Thuronem Bielche nuper oblatæ, satisfecisset, ut rogarent ipsius Majestatem, nè postulatis Ordinum æquissimis, diutius reluctaretur. Postea Proceribus congressi Polonicis officiose salutatis, nomine Sueonum singulares agerent gratias, quod non modò veniam Regi in patriam redeundi promptissimè concessissent, sed etià liberalissime splendidissimeque rebus tantæ necessariis profectioni eum instruxissent, porrò flagitantes, ut fidum absenti animum conservarent, & Sueonum amici perseverarent. Nec Legati segniter postquam Dantiscum appulissent, suo munere fungebantur, & protinus inde Majestas Regia Thuronem remittens, XVIII. Augosti perscribit Ordinibus patriæ, gratum sibi vehementer fuisse quod ex Legato illorum cognovisset, quantum dolerent ob parentis sui mortem, & quam memores successionis hæreditariæ, obligationisque essent, ità ut subito thronum sibi obtulerint, atque in Regnum propterea revocaverint; Nec suam jurisdictionem & tantam illorum vocationem ratus negligendas, se patriam versus ita viam modò ingressum, ut nihil absens timaret in Polonia periculi, sed plurimum inde subsidii expectaret. Porrò quod Sueones aliam postularent cautionem super jurum quorumlibet immunitate,

ac religionis libertate , antequam indè proficiseretur tradendam , quam per Johannem Kranchium primò ; deinde per suos transmisisset Legatos Comitem Gustavum & Petrum Brasch , se plurimum demirari & nonnihil indignari ; præsertim cum Principibus , qui electione sceptrum aliquod capescerent , illa soleret obligatio , priusquam in Regno susciperentur , exigi , non qui succeßione hæreditaria : Quandoquidem in sua duntaxat coronatione , hi solerent hujusmodi obligationes dare , & vicissim ab incolis acceptare ; Nec prius igitur se velut legitimum throni Suetici hæredem , alias daturum cautions . Actionem denique cum Ruthenis non Calendis Octobris instituendam , sed usque vernum sequentis anni tempus differendam , sibi consultius videri , ut interea regiæ peragan-  
tur exequiæ , inaugurationis solennia celebrentur , & idonea pacis admi-  
nicula investigentur.

Quapropter huic , non illi , Regis voluntati Sueones haud gravatim obtemperarunt , & operâ Georgii Boij , consensum Moschi de tractationis tempore illuc prorogando , postea impetrarunt . Gravissimè tamen omnium tulerunt Ordines , quod præterea in responso Regis Sigismundi , per Thuronem accepto , fidelitatis admonerentur illius Majestati melius servandæ , & simul propter decretum Upsalense nonnihil arguerentur , hinc non obscurè intelligentes , quid in negotio religionis à Rege foret deinceps sibi expectandum .

Prutenicis etià simul negotiis Rex Sigismundus , cum modò Gedani moraretur , intentus ordinandis , judicium constituit , in quo primaria Elbingæ & Toruniæ templo Catholicis sunt adjudicata . Eadem quoque sententia de Mariano Dantisci fuisset prolata , nisi Rex ab Erico Sparrio vel Thurone admonitus , Suecos pariter violentâ hujusmodi religionis mutatione offensum iri ; Consultius propterea existimasset , ut in publicis Regni Comitiis ea decideretur controversia . Suasit idem Ejus Majestati , eodem utens argumento , nè Legatum Pontificis secum adduceret in Sueciam , ast non persuasit . Regis verò germana soror , Anna , Religioni addicta magis Evangelicæ , suæ illic mansionis tempore vocatos aliquoties ad hospitium concionatores templi Mariani , au-  
scultat docentes .

Gravissimus insuper fuit in oppido tumultus , antequam indè Regia Majestas discederet , cui Polonus quidam insolentior præbuit occasionem ; Enimverò à bajulorum uno in platea obvio sub oneribus nonnihil attactus , cœpit illum & bajulorum reliquos gladio infestare ac vulnerare . Prævaluissent tamen bajuli , nisi ex propinquis accurentes ædibus alii quidam Poloni conterraneo tempestivum tulissent subsidium , & bajulorum aliquot occidissent . Eâ proindè Polonorum insolentiâ ci-  
vies commoti , armis correptis in foro convolant , & Poloni cedere compulsi , ex vicinis domibus in confertam exonerant bombardas multitudinem : Quæ vicem ideò relatura , non adversarios modo globis impedit , sed pilas aliquot plumbeas , in propinquum Regis diversorum simul dirigit . Quocircà regium ex suburbio præsidium advolat vocatum ; quod tamen cives pensili Motlaviæ quantocius ponte levato , excludunt , & suæ ità saluti magnoperè consulunt . Interim Senatus invigilat componendo tumultui , ipsoque sedato , portas urbis per biduum obserat , donec primus seditionis author esset captivatus , & qui regium in conclave , globos displosissent investigati ; Quando etià XXIII. fuisse trucidatos , & plus quam L. vulneratos depræhendebatur .

Tanto autem defunctus periculo Rex Sigismundus , ibi non diutius mo-

morandum censuit , & propterea oppido egressus , ad ostium Vistulæ diebus aliquot secundos expectavit ventos , quos tandem nactus , non aliquam navium conscendit Sueticarum ipsem , sed Hollandicam auro conductam ; Quâ porrò de causâ , istam Sueticis , licet mediocriter instrutis prætulerit , mihi nec dum innotuit . Nec tamen ultrâ progressus , quam in sinum sub Heilio propinquum , ibi oëtiduum , adversâ detinetur tempestate ; Quâ demum sedatâ , XIII. Septembris inde solvens , pelagus repetit , & licet gravioribus in eo tempestatibus fuerit denuò exceptus , tamen littus attigit Sueticum incolmis . Quando aliis occurrens Ordinum Legatus , Regio gratulatur adventui , quem Regia Majestas præcedentem comitata , XXX Septembris Stockholmiam Sueciæ Regiam cum triumpho appulit . Nullus , inquit Typotius , liberis pater advenit peregrinat , quam ille Stockholmensis . Patruus etiàm descendant in terram occurrent Regi Sigismundo , amicissimè ipsum , uxorem & sororem excipit . Secundum verò salutationem , inde recipit se Nycopiam , & Rex cum Sanatu remanens , anni reliquum in causa suæ religionis promovenda indefessus transfigit .

Nam proprio non minus instinctu , quam Legati Pontifici , vehementer admodum urgebat in primis , ut , cum Lutherana vigeret passim in Regno fides , Catholicæ , & hujus exercitio in qualibet civitate unicum assignaretur templum propagandæ . Instabatque propterea , ut Concilii decretum Upsalensis , quod suo absque consensu esset fabricatum , penitus abrogaretur , & M. Abrahamo , velut conjurato Regis Johannis adversario , ibidem citrà suum quoque assensum nominato prorsus repudiato , alias designaretur Regni Archiepiscopus ; Nec tamen à tali Regni se insignia , vel alio Lutheranorum , velle ullatenus fuscipere , verum à Legato Pontificis eadem sibi conferenda censuit . Atqui Senatus & reliqui Ordinum præsentes , Regiæ voluntati audacter adversantes , solum Augustanæ Confessionis exercitium in patriâ tolerandum contendebant , nec decretum Concilii abrogandum , vel candidatum Archiepiscopæ repudiandum afferebant , illius Majestatem serio hortantes , ut talem in Regno approbaret religionis libertatem , sicut etiam statutum Upsalense , & M. Abrahamum confirmaret , ab eoque , non Pontificis Legato , dia dema fusciperet . Quando primarius Regni Clerus , ad Regiam vocatus parentationem & inaugurationem , Upsaliæ congregatur , & missis inde Stockholmiam Oratoribus , eadem frustrâ precatur , adeò quod nè ipsos quidem Rex alloquio sit dignatus .

Indè plurimum exacerbatus ordo Ecclesiasticus , & subsidio Principis Caroli summoperè animatus , in Regem & hujus fautores palam ex suggesto passim cœpit debachari , sed reliquos hac in re superavit M. Ericus Schepperus Stockholmium parochus , qui alias etiàm infestus Regi propter nonnullas à parente acceptas quondam injurias , quotidianis in illum invehitur concionibus . Huic autem incendio formitem non frigidum , ille si non Trojanus , arte instructus pelasgâ Olaus Suercherius sedulò subministravit , quidquid in Palatio cognosceret , ad Cleri deferens consistorium . Nam præter alia , cum intellexisset Legatum Pontificis in nupera quâ Rex Comitesque jactabantur tempestate , quosdam Agnos ut vocant Dei , pro consuetudine Catholicorum in mare , ut subsideret tempestas , projecisse , ille rerum ignarus , sacramentum fuisse Eucharistiæ falso interpretatur , & M. Schepperus ab illo seductus , pro concione sèpiùs ideo Catholicos conviciatur , demumque melius à Raschio informatus , sycophantæ indignatur .

Quibus adversarii convitiis impulsi , & præfertim Jesuitæ , P. Sigismundus & P. Justus , Regii concionatores , convitia convitiis compensarunt , animosque Evangelicorum magis inflammaret ; Quos etiā ad certamen provocarunt , fidei sūæ veritatem , non scripturæ solūm sacræ testimoniis , sed miraculis simul comprobare parati . Sueci tamen congressū abstinuerunt , nè suum dogma in dubium vocare , & Deum quodammodo tentare , viderentur ; Interim nihilominus pars utraque suos habuit utrobique exploratores , nè concionatores imparati ad convitia suggestum ascenderent . Prudentioribus verò temporum & rerum æstimatoribus magnopere displicuit tanta convitiandi licentia , & quod postea contigit infortunii , partibus vaticinabantur .

Accidit præterea ut quidam Polonorum de vivis Stockholmiae migrarent , quibus in Ecclesia insulana parochus non sepulturam , licet Suecis in Poloniâ Lutheranis istud non concederetur beneficium , sed suggestum duntaxat , negavit . Catholici tamen armati , funera illuc deduxerant , & vulneratis adversariorum nonnullis , suggestum violenter occupaverant , indequæ verba fecerant .

Ea porrò insolentia peregrinorum ideò magis Suecos ad indignationem commovit , quod Rex illis connivere , imo palam favere videatur . Ac licet ordo Nobilium ibi præsens libello supplici ipsius Majestatem officii admoneret , tamen facinus non mulctavit , asseverans Ecclesiam & suggestum à Catholicis fundatum ornatumque , non Lutheranis , qui proinde nullo prohiberent jure Catholicis exercitium in templo priscæ religionis . Quamobrem pridiè Calendas Decembris Senatus Regni nomine Ordinum Regiæ Majestati prolixum obtulit supplicem libellum , in quo Regem copiosius officii admonuerat , simulque obsecraverat , ut ante coronationis solemnia , cautionem deponeret super immunitatibus cuique statui servandis , & potissimum religionis libertate circa exceptionem concedenda . Nec tamen aliam obtainuerat resolutiōnem , quam tempore inaugurationis Ordinum voto , quantum æquitas suaderet , esse satisfaciendum .

Interea temporis Rudolphus Imperator cognitâ Regis Sigismundi in Sueciam profectio , XIV. Decembris Pragâ expedivit huc Georgium Chalium , Juris Doctorem , & appellationum in Bohemia Consiliarium . Quæreris verò hactenus Sveonum Rex Sigismundus monetæ ignobilioris nomine , non ita pridem à parente signatae , commotus , precium elevat & abrogat . Quandò etiā præter nauum insigne , nauclerum aurea donat torque permagni valoris & splendoris , qui suo ipsum navio nuper in Sueciam advexit . Atque demùm gratiam Deo exhibitus , pro fausta navigatione & transacto feliciter totius anni curriculo , festum Theophaniæ ex religionis suæ præscripto , multâ peragit devotione , licet Evangelici plus inde offensionis quam ædificationis consequentur ; Quos tamen ille non moratus concionibus simul invenientes , suis claudit annum sacris præsentem , & sequentem iisdem auspiciatur .

Anno MDXCIV. ineunte , vel priori exeunte , Rex Sigismundus honorifice à patruo invitatus ad suscipiendam ipsius filiam de sacro baptismo lavacro , per Legatos Nykopiam transmissos illi lubens gratificatur . Ipsem verò interim Stockholmiae cum Ordinibus Regni , qui modo turmatim confluxerant , ut Regiæ interessent coronationi festo Epiphaniæ , secundum exequias , peragendæ , solito vehementius luctatur , de religionis præfertim negotio . Nam à Polonis persuasus , quod in R gno

gno hæreditario absolutam haberet potestatem regendi , nec ab incolarum suffragio dependeret in statutis condendis & promovendis , nullatenus voluit ordinum satisfacere votis , approbando Upsalensem transactionem ; M. Abrahami electionem confirmando , & concedendo ut ab ipso inauguraretur , spondendoque quod religio Augustanæ Confessionis , Catholicā omnino exclusa , in omnibus Regni Ecclesiis , libera , unica , & sola , sine ulla conditione foret relinquenda : Ideoque profectio Upsaliā , parentatio & coronatio , sunt æquo diutius prorogatae . Hactenū autem Dux Carolus se neutralem quodammodo simulans , hujus tragediæ non clausis expectat oculis catastrophē ; Ordines tamen non ignorantēs benevolum esse Ducis sibi animum , Regio audacius & contumacius obluctantur desiderio .

Quam infasto proinde statu causa Regis versaretur , plurimi non obscurè viderant ; salubre tamen consilium nemo suggerere voluit præter unum Regis servitorem , nomine Levinum Bulouium , multa virum eruditione præditum . Is etenim periclitantis misertus Domini , huic V. Januarii die cōsuluit , gravibus in sua oratione productis argumentis , ut cum indigenis rerum Sueticarum gnaris , non alienigenis , earundem ignaris sua haberet consilia ; Consultus ab illis se protinus resloveret , non fileret ; Modernis ita prospiceret rebus periculi plenis , ut rebelles aut armis compesceret , aut tempori , necessitatique serviens , votis ipsorum responderet . Atqui cum illud modò non liceret , hoc faceret , religionem stabiliret pro se , non hæredibus ; Candidatum approbaret Archipræsulem ; Regia caperet ab isto insignia , si alias non conferenda ; Nec indè scrupulum conscientiæ sibi contraheret , siquidem religio in fide non ceremoniis consisteret . Ad coronationis non pergeret solennia , nisi cum Ordinibus omnem transegisset prius controversiam , nè Upsaliæ , velut loco adversariis commodiore constrictus , ipsorum voluntati quovis in negotio compelleretur obtemperare : Sed indè reversus armā provideret ; Stocholmense traderet castrum fidelissimo Procerum , ut illic certum haberet in necessitate refugium ; Choryceosque clām subornaret , qui animos Sueonum exploratos sibi proderent .

Consultori non obediens tamen Rex Sigismundus omnino maluit prius de templo disceptare , quam sceptrum acceptare , & in illo consensum impetrare . Quando & aliis Cæsarī Orator adveniens , explorator est reputatus ; qui nihilominus suam deponens solenniter Legationem , faustum gratulatur Regi transitum , & privata deinde quædam negotia cum illius tractat Majestate , responsumque adeptus , remeat . Verum Sueciæ Ordines repulsam se toties passos vehementer indignantes , VII. Januarii per suos Legatos Griphisholmiam expeditos , nempe Sivardum Ribbing & Axelium Kurck , viros nobiles ; ac Olavum Larvensem , & Clementem Petri , Vastenensem , Parochos , Carolum Ducem enixe orant , ut suā interpositā modo autoritate , Regem permoveret , ad satisfaciendum honestis adeo Sueonum postulatis ; Ac propterea Upsaliā se non gravaretur conferre , ut ibi simul cum ipsis idem promoveret negotium . Sed cum Princeps non obscurè animadverteret , à Rege vix quicquam bonitate impetratum iri , armatam eò decernit profectionem . Et nihilominus pacifica primum remedia adhibiturus , XIX. Januarii Regiæ Majestati perscribit , se præfatā compellatum legatione , suadens ut quod literis & nunciis ante suum in patriam redditum promisisset , modo adimpleret , jura & libertates Ordinibus confirmando , ac præsertim religionis immunitatem approbando ante suam inauguracionem

nem , alias forsitan plurima indè mala , quæ tamen Deus clementer averteret , promanatura.

Quibus motus literis Rex Sigismundus , cum responso misit Lindormium Bonde , in quo magnoperè captans patrui benevolentiam , obsecrat , ut ille revocatis sibi paulisper in memoriam nuperis Senatus molitionibus , & non paucorum de Proceribus , quibus essent nefariè usi sæpenumerò in Regiæ perniciem familiæ , interitumque , desereret hujusmodi factiosorum partes hominum , & Regiam tueretur causam æquitati magis , veritatique conformem , ità vicissim se amicum ad aras , & porrò experturus , neque vulgaria benevolentia documenta cogniturus ; Argumento autem sibi futurum , quod exauditus , si patruus remotis protestantium manibus , Episcoporum se coronâ vellet insignire , & repudiato Abrahamo , M. Petro Stregnensium Episcopo summi Præsulis conferendam dignitatem non abnueret . Has Carolus literas nactus XXVI. Januarii , cum Lindormio diebus aliquot hoc de negotio non imprudenter ultro citroque disserebat , & tandem post quatriduum scripto etiam Regiæ Majestati suam mentem detexit .

Quæ cum aliena foret à Regis Sigismundi proposito , & simul intelligeret Rex militem à patruo conscribi , consilio Claudi Flemmingii & Caroli Gustavi , decrevit etiam plures secum cohortes Upsaliā , quam Palatinas adducere . Verum dissuasus à Gustavo Baner , Regni Marschaleco , commeatus inopiam obtendente , his solum stipatus , Stocholmīā cum funere paterno pridiè Calendas Februarii Upsaliā versus proficitur . Postridiè autem Dux Carolus jusso pedetentim exercitu subsequi , cum paucioribus Sigismundum Regem accedens stipatoribus , Regiūm unā funis in basilicam deducit Upsalensem ; Ubi protinus tumulo illatum , quâ conveniens esset solemnitate humatur . Sed paucis post diebus , non modica sanguinis vestigia propè Cenotaphium ipsi impositum sepulchro , ab œconimo templi , pluribusque hominum aliis , conspecta , illam quæ deinceps secuta est , ob discordiam Regis Sigismundi & Ducis Caroli non obscurè prænunciârunt sanguinis profusionem .

Secundum exequias porrò , coronationem Ordines maturantes , pristinam Regi controversiam multò acrius moverunt , & insuper petiverunt , ut juxta constitutiones Calmarnenses , nemini Sueonum , qui aliam sequeretur confessionem , quam Augustanam , aliquot in patria officium , vel beneficium amplius conferretur .

Simul etià quilibet ordo , peculiaria sua obtulit postulata , & in primis ordo Equestris . Hic autem obsecrat ut liceat sibi consuetis frui privilegiis , ità quod primariis Regni fungeretur officiis , autoritate & dignitate ; ex legum præscripto militiam sequeretur ; damnis in ea captis satisficeret ; Sui ad illam coloni à Rege non cogerentur ; nec contributionibus onerarentur , vel mulctam judicio impositam , alteri quam domino proprio ullibi dependenter . Præterea ut fundos suos nullo jure ad fiscum Coronæ quondam devolutos , vel Ecclesiis , Cœnobiosisve donatos , & hinc à Coronâ occupatos , fine dispendio Regiæ gratiæ liceret , productis argumentis ac literarum documentis , repetere ; Sicut etiam metallifodinas , in suis repertas fundis usurpare , tributo tamen indè Regi persoluto . Deniq; ut nobilium aliquis suspectus delicti sponsoribus datis non captivaretur . Atque ut extortæ Senatui Procerumque aliis sub Regis Johannis regimine obligationes & subscriptiones , cassarentur , verum Calmarnenses servarentur constitutiones , paululum ab Ordinibus mutatae & approbatæ .

Igitur quoad peculiaria hujusmodi Ordinum petita , respondit cle-

men-

menter admodum Rex Sigismundus, videlicet in coronationis festo, ipsis abunde satisfactum iri, dummodo non nihil etiam se voluntati Regiae prius accommodarent, & cum nullum modo locum vellent religioni Catholicæ assignare, promittant saltem, quod si melius de ipsa cum tempore fuerint informati, tum illius exercitium in regno simul cum dogmate Lutherano sint permisuri. Sed omnem prorsus conditionem exceptionemque respuentes, absolute urgebant, ut Confessio Augustana, qualis sub ultimo Gustavi regimine, & primo Johannis, in patria viguisse, talis imposterum, unica, sola & ubique tam in Ecclesiis quam scholis perpetuo florere. Quandoquidem vero Rex nullatenus his consensurus videretur, in ipsum & sectatores, ex pulpitis quotidie invehebantur concionatores Upsaliæ, ac præcipue M. Abrahamus, M. Ericus Schepperus, & M. Nicolaus Bothniensis. Nec interim reliqui Ordinum feriantes, noctu diuque cōsultant, & horum non pauci sceptrum, Duci Carolo deferrunt, Rege Sigismundo repudiato. Ast cum ipse penitus illud recusaret, Principem Johannem voluerunt designare, & sub tutoribus educatum coronare; Quod tamen dissuasit Dux Carolus & Senatus, illeque coram ratus se persuasurum illius Majestati ut votis Ordinum satisfaceret, VII. Februarii in castro alloquitur, ubi animis ita exardescunt, ut in mutua ruissent vulnera, cædesque, nisi astantes intervenissent Optimates, quorum opera simul effectum, ut à Rege Sigismundo Dux Carolus prius non discederet, quam esset ipsi reconciliatus.

Quæ tamen amicitia non fuit diuturna; Siquidem intelligens Dux in eadem Regem Sigismundum adhuc sententia versari, XI. Februarii fœdus cum Ordinibus pangit, religionis conservationem & propugnationem concernens: Ideoque post triduum Princeps Carolus, paucis Upsaliâ milliaribus, suum lustravit exercitum. Quod Senatus & Ordo nobilium, non ignorantes, XV. Februarii suis queruntur literis apud Magnates Polonos, de Regis contumaciâ, & ipsos simul hortantur, ut suæ & Regis saluti consilentes permoverent illum ad obtemperandum æquissimis Sueonum postulatis, nec diutius prorogandum esse consensum; Alioquin si Regiae Majestati, & sectatoribus, aliquod propterea contingenter infortunium, se coram Deo, mundoque universo excusatos fore, quod tempestivè præmonuissent, atque hanc suæ innocentiae protestationem, evidens ubique regionum perhibitaram testimonium. Quamobrem hinc Poloni, & simul Legatus Pontificis, à quorum consilio hactenus potissimum Rex Sigismundus dependisset, magnopere perculsi, mutatâ sententiâ, Regi suadere cœperunt, ut Suecis obtemperaret; Nec tamen existimaret, se hujusmodi obligatum servare pacta conventionis, quæ contra Deum & conscientiam, in tanto necessitatis articulo, invitius approbasset.

Indè autem non difficulter persuasus, omnibus fermè consensit Ordinum postulatis, ita tamen, ut à Stregnensi, non Upsalensi Præfule sibi diadema imponeretur, & facillis arcum ubi moraretur, pro suæ religionis exercitio, juxta vigorem statuti Calmarnensis, liberè fruenteretur. Nec in his repulsam passus, inaugurationis festivitati se accingit. Huic vero destinata fuit dies XIX. Februarii, secundum veterem computandi modum. Quâ proinde illucescente, & non prius, suam tradidit Ordinibus generalem obligationem, & consecrato in Ecclesia interim Archiepiscopo, circa meridiem illuc regali omnino pompâ etiam descendit: Ubi pro consuetudine majorum, Regia capescit insignia, per Stregnensem collata Episcopum; cui tamen Upsalensis astabat, & orationes

pronunciabat, juramentumque Rex præstítit, quo nuper Sueonibus promissa roboravit privilegia. Quando etiam illustrissima simul conjunx Regis Sigismundi Anna, coronatur; Et his consummatis, M. Abrahamus sueticè, sed Jacobus Typotius latinè perorârunt. Prius tamen Dux Carolus, juramento fidelitatis se Regi solenniter obligavit.

Omnibus verò ritibus in Basilica peractis, Rex Sigismundus in castrum regressus, magnificum patruo & reliquis Sueonum, Polonisque exhibet convivium: Nec postridie in eo comparuit, quod esset, ut vulgò dicunt, Cinerum dies, & Jejunii Paschalis juxta Gregorii computum, foret initium. Nihilominus tamen hilariter Evangelici commessabantur, quando per Italos, Regio jussu, quædam fuit tragœdia in eum, ut ferunt, exhibita finem, ut Dux Carolus in theatrum adveniens trucidaretur. Verum Dux admonitus periculi à quodam Hyeronimo Strozi, non comparuit. Jacobus verò Typotius paulò aliter eandem narrat molitionem. Asseverat etenim quod festo inaugurationis nec dum transacto, rumor emanarit, consilium Regi datum à Polonis, aut Legato Pontificis, ut patrum ad se venientem compræhenderet, & Senatores Ungarorum telis objiceret; Regem Sigismundum tamen abhorruisse à sanguine, nec in scelus consensisse, nisi expiatum, & propterea expiatio tabulas exegisse. Ac demum claudens relationem Typotius, rem à se narratam, non confirmatam protestatur.

Cæterùm Ordines ante suum indè abitum, XXIII. Februarii sub dio in area castri suam tradunt Regi literariam obligationem, hancque sublatis manibus jurejurando simul confirmant; Atque tandem nocti mandatum, ut veris initio Stocholmiæ iterum confluenter, illic de forma gubernationis à Rege Sigismundo in Poloniā reddituro, tradenda consultaturi, domum certatim dilabuntur. Festo præterea coronationis, nummi aurei argenteique inter plebeculam ad spectaculum effusam, copiosè dispergebantur, ex una habentes parte inscriptionem: COELITUS SUBLIMIA DANTUR. Ex altera; COR REGIS IN MANU DEI. Nec Princeps Carolus, ibi diutius sibi morandum existimans, Regi & Reginæ valedicit, reversusque cum uxore in Sudermanniam, Regem Sigismundum non convenit amplius. Qui VIII. Martii quoque Stocholmiam regressus, diversis angitetur curis, quod Upsaliæ suâ, esset spe frustratus; Confidens tamen armis in proximo Ordinum conventu se voti compotem fore, Johannem Weierum in Poloniā ablegat, tempore veris cum exercitu huc rediturum. Interea cum præsentibus deliberat Polonis, & Nuncio Pontificis, de Regni, & Religionis negotio sæpius, quam cum Suetico Senatu, ac sibi ducens piaculo, pacis stare Upsalensibus, sedulam dogmati Catholicæ dat operam promovendo.

Enimverò cum nullam pro Catholicis Ecclesiam Stocholmiæ impretrasset, domum ibi lapideam Palatio similem, pro aliquot florenorum millibus, ab Andrea Kettio comparavit, & ipsam exercitio Catholicæ Religionis deputavit; In eaque congregazione Sacerdos constituitur quidam Andreas Olavius, modo sacris Stocholmiæ Ordinibus initiatus. Alteram verò Ecclesiam in acropoli, quâ mater olim esset usâ, instaurat, & hanc Adamo Steinhilio, natione Flandro, commendat. Tertiam in prædio materno, indè Drottningholm appellato, post obitum patris ferme desolatam renovat, ubi concionatorem egit in primis M. Nicolaus Servius, & ipsi circa hoc temporis spatium mortuo substituitur Andreas Stalerus Theologiæ Doctor. Quarta floruit in Cœnobio Vastenensi, quod proventibus Rex ornavit, & collatos quondam à parente novis literis

con-

confirmavit, simul etiam mandavit Castellano Vastenensi, ut tecta & muros interpolaret; binis ibi Sacerdotibus assignata tribueret salario; ac fidelem gereret curam monasterii, à quavis ipsum injuria protegendo. Deinde cum nova monialium Antistita nec dum foret initiata, quandam eò Poloniae misit Episcopum, qui benedictionem impertiret, & quælibet ibi loca cum comitibus, religiose admodum visitaret,

Nec minus benignam se præbuit Regina Cœnobitis, his non pauca donans munuscula, & ornamenti Ecclesiam decorans; Cupiensque numerosius istud fieri contubernium, quandam illuc puellam expedit, albo vestalium postea inscriptam. Inter has porrò, sicut etiam inter alios, Catholicam fidem in Sueciæ Regno amplexos, liber quidam precationum liturgicus, à M. Andrea Servio Sueticè versus, & Niessæ apud Silesios nuper impressus, sedulò passim distribuebatur. Ex quibus omnibus non obscurè liquet, pactis Regem Sigismundum Upsalensisibus nullatenus sibi adhærendum constituisse. Quod ipsum testantur non minus evidenter alia Regis acta, quibus ipsem Stocholmiæ intereà temporis dabant operam. Quando Regina imprimit more Catholicò, quâlibet per quadragesimam die Veneris, mendicis in arcem vocatis, esculenta & poculenta suis apponit manibus lautissima, ciborumq; fragmenta, pecuniasque liberaliter donat abeuntibus. Verum die Parasceves, Henricus Mathiæ Secretarius, jussu Regis, XII. viros hujusmodi pauperes vicatim congregatos in Regium adducit Sacellum, ubi Pontificis Legatus illorum lavit pedes, aliosque exhibuit ceremonias, Catholicis eo tempore usitatas. Quibus finitis Adamus Steinhalius consendit suggestum, & ritus exhibitos, prolixâ defendit oratione; Non tamen spectatoribus & auditöribus Sveonum plurimis eas potuit persuadere, ac multo minus urbis concionatoribus, potissimumq; M. Erico Schepperero, qui postridiè in hujusmodi ceremonias, acerrimè fuit invectus, simul prohibens civibus elemosinam dare aliqui mendicorum, qui modo præfato illis adsuissent, hique propterea stipem non adepti, inediâ fermè perierunt.

Unde Regia Majestas quidem indignata Schepperero, non tamen à sua religionis exercitio avocata, nocte resurgentis Christi de tumulo, illas longè majori apparatu exhibit ceremonias, quas Catholicorum reliqui solent tum temporis fine scrupulo ubique terrarum usurpare. Quapropter inde Schepperus cum collegis ampliorem nactus convitiandi materiem, Catholicos vehementer exagitavit, & Vatinianum Regi odium apud auditores conflavit. Quanquam alioqui sat displicerit Ordinibus, tum ad comitia ibi convolantibus, quod tanto scloporum & tormentorum tonitruo, fulgereque illud exhibuisset spectaculum, ut castrum & oppidum inde subvertenda existimarentur.

Sequentibus autem Paschæ diebus, comitia inchoantur, in quibus proponitur connubium Regiæ sororis cum Johanne Georgio Brandenburgensium Marchione contrahendum, licet illius esset consobrinus, & propterea imponitur. Ordinibus contributio dotis, centum videicet millia thalerorum. Postea de pacis cum Moscho ineundæ consultatur conditionibus, & simul concluditur, ut cum tempus tractationi præfixum jam pertransivisset, nec propter domesticas haëtenus discordias Sueonum Commissarii, velut condictum utrinque in colliminio regnum, comparuisserint, impetrandam esse colloquii prorogationem, usque sequentis anni principium; & interim Poloni à Regia Majestate provocati, Moschum permoverent ut tolerabilioribus nobiscum legibus pacifceretur.

Aft gravior deliberationis pars restabat, nimirum quo pacto in ab-

sentiâ Regis clavus foret Regni gubernandus ; Et quamvis diu multumque hac super re esset consultatum , Ducisque Caroli sæpius consilium Regiis literis requisitum , tamen nulla gubernationis forma unanimi Regis & Ordinum consensu , potuit concinnari , quod tacito flagrantes utrinque odio , nullatenus possent concordari : Sicut etiam quod Poloni suaderent Regi , teste Jacobo Typotio , Suecos in hujusmodi turbis relictos , fore oportuniiores injuriis. Suum verò consilium fuisse idem fatetur , ut nec dum rebus in ruinam inclinati , Rex Sigismundus , cum Moscho nomine Sueonum non pacisceretur , quod isti bello occupati externo , illius Majestatem occupare , vel impugnare non valerent. Ideoque Senatus Regni , hanc fortassis præsentiens molitionem , Regem assiduo sollicitabat , ut formam traderet regiminis , & patris exercitum , soluto stipendio , in fide contineret. Sed Polonis magis auscultabat suadentibus insuper , ut redditum in Poloniam maturaret , cum instructissimo posteā reversurus exercitu , & rebelles ad faciendum imperata compulsurus.

Verū comparatus interim exercitus in Polonia , tempore Comitorum advenit Stockholmiam , non tamen ità numerosus ut Suecis aliquam posset injicere formidinem , aut pellicere ad revocandum seu retractandum pæcta Upsaliæ conventa. Non parum nihilominus Poloni ob hujus adventum militis animati , Ordinibus Stockholmia congregatis , solito arrogantius insultarunt ; Contumaciam Regi exhibitam improperrunt , & tam petulanter se noctu diuque gesserunt , ut neque choro , neque foro , versantibus pepercerint. Nam qualibet nocte homicidia perpetrabantur , tam Svecis quam Polonis occumbentibus. Ac licet impunita non fuerint , tamen Poloni despectum Regi suo , & religioni nuper Upsaliæ irrogatis , nequaquam digerere valentes , de insolentiâ nihil remiserunt. Ac religionis nomine potissimum Clero infesti , ne quidem in Ecclesia illi pepercerunt , & cum alium non possent despectum concionatoribus adhibere Lutheranis , in templis sub concione petulanter inambulabant , confabulando & sacris illudendo. Adeoque fuerant exacerbati , ut ne Regi quidem severè insolentiam prohibenti , auscultarint

Hinc igitur Senatus Regni compulsus , cohortem advocat Dalekarlorum , qua cum excubias per vicos & plateas agente , Poloni crebra habent certamina , & tamen mansuetiores non facti more confuento tumultuantur. Novus autem Regni Archipræsul Clero compassus , M. Nicolao Bothniensi & M. Erico Schepperio , cui propter assiduas in Catholicos invectivas Poloni maximè infidiabantur , secum acceptis , Consiliarios Regni in ædibus Reginæ Catharinæ congregatos , accessit , & questus de violentia Polonorum , cum alio non recepsit solatio , quam ut concionatores posthabitis invectivis tantisper , ipsimet suæ consularent saluti , dum Regia Majestas ex Regno cum Polonis discederet.

Interea Comitiis ad finem perductis , Ordines inde festinarunt domum , & mense Junio filiam nactus Rex Sigismundus nomine Catharinam , tantâ cumulatur lætitia , quantâ haec tenus tristitia propter rem Upsaliæ minus feliciter gestam fuerat conturbatus. Sed extrema gaudii novus occupat luctus , cum non multis post diebus , mors nimis immatura illam de vivorum numero abripuisset. Hujus porro funus navi decenter impositum præmisit pater mæstissimus in Poloniam , & simul etiam , ut quidam perhibent , maternum ex tumulo clam Upsalensi levatum , & Cracoviæ posteā in auiitis tumulatum monumentis.

Nec diu postmodum Rex in Sveciâ moratus , parat abitum , & cum in procinctu esset , Regni gubernatione patruo commissa , ad ipsum expedit

pedit Ericum Gustavium à Torpa Baronem , cum Duce acturum de forma gubernationis , & obligationem ab illo vicissim acceptam , illius Majestati præsentaturum. Princeps itaque cognita Regis voluntate , huic obtemperat , ad fidelitatemque literis se obligat , & qualem desideraret formam regiminis , Regi Sigismundo per Ericum rescribit. Interea non immemor Rex quid suassisset Bulouius , Comitem Ericum Brahe , licet professione foret Catholicus , Castellaniū deputat Stocholmensibus frustrâ Senatu in contrarium protestante , ad regiumque jusjurandum provocante. Quando Comes in præsentia Regis acerbis Consiliariis respondens , se non minus quam ipsos ad primaria Regni officia natum , nec propterea suo privandum jure , quod Catholicam esset amplexus Religionem , sine quâ nemo posset salutem æternam adipisci , copiose differit. Orationi vero Comitis Rex consentiens , ipsum in officio confirmat , & XIV. Julii , cum XLIV. navium classe Stocholmiâ Dantiscum versus navigat , secundo usus vento , donec maris fauces esset emensus ; Tum etenim adverso detentus , in ipso maris aperti aditu tribus hædere septimanis cogebatur.

Quo temporis spacio navigii malus , in quo Legatus Pontificis vehebatur , fulmine tactus , non sterilem M. Scheppero Catholicos fugillandi , materiem præbuit , nactusque responsum ex classe Regiâ metheologicum magis quam Theologicum , siluit. Cæterum M. Petrus Lincopenium Episcopus , post suam ex Comitiis Stocholmensibus reversionem , profectus Vastenum adducit secum quendam Laurentium , qui Religione in exteris Catholicâ leviter imbibitâ , modo abjuratâ , ut aliquod in patriâ officium conqueretur , Lutheranam affectavit : Atque ut suo provocati exemplo Cœnobitæ , & horum auditores , Catholicum desererent similiter dogma , palam in Ecclesia parochiali suam cecinit palinodiam. Nec eâ contentus Episcopus , affixis ad monasterii valvas occultè libellis famosis , hæreseos accusat inhabitatores , & hos ad veritatis agnitionem frustrâ instigat. Itaque contumacibus magis succens , cum furiosa urbis plebecula Cœnobium invadit , ut vocatis in colloquium concionatoribus monialium , Regiam insinuaret obligationem , & super conversione , vel migratione , illos compellaret. Nec congressum refugientes , audacter prodeunt ; sed cum verbis à populo minus honestis exciperentur , & verbera insuper addenda subvererentur , gressu relato , musæa repetunt , protestantes de violentiâ sibi allata , & nulla Episcopo se obstrictos obedientia , immò nè quidem Episcopi nomine dignum , quod legitimè non vocatus , nec esset initiatus , asseverantes.

Prætereà missis ad Regem in fauibus Oceani adhuc morantem , literis quantociùs , de injuria queruntur ; Ideoque Rex Sigismundus graviter offensus , cum Episcopo vehementer expostulat , usque tamen suum redditum , mulctam illi proptereà infligendam reservat. Quando etiam ille Johannes Salemontanus , cuius mentionem fecimus tomo priori , propter eandem quâ Laurentius causam , castris Catholicorum desertis , secessit Rostochium , ubi suam edidit similiter palinodiam , & huic addidit magis roborandæ , quædam M. Olai ac M. Laurentii Andreæ , publicata olim opuscula. Atque cum iis posteà regressus in patriam , à Clero benevolè suscipitur , & quandoquidem eloquio esset admodum facundus , in aula Caroli Ducis munere concionatoris diu fungitur , tandemque sub Venda Livoniæ quò Dominum erat comitatus , Phthiriasi , ut fertur , moritur. Eodemque morbi genere præfatus sæpè infesta-

batur Laurentius, qui primum in Gymnasio Lincopensi hypodidascalum egit, & deinde parochum in Smalandia, ubi vitam clauserat.

Verum defectione istorum non magnoperè sunt commoti Catholici, cum plurimorum ex Suecia juvenum accessione, modò fuerint oppidò recreati. Enimverò pro messe, quam in Sueonia expectabant copiosam, non paucis indigentes operariis, multos modò secum ex Sueciâ melioris ingenii adolescentes ducebant, in variis Europæ Academiis scientiâ literarum lúculenter posteà imbutos. Similem quoque messem Catholici in reliquis Scondiæ regnis, nempè Daniâ & Norvegiâ, cupide affectantes, indè frequentes juvenum catervas, isto pariter ævi hujus tempore, ad suam pellegerant amicitiam & militiam. Quo in aucupio suam illis deferebant operam, M. Johannes Hagæus, Malmogiaæ Ludirector in Daniâ, & M. Christopherus Cervinus in Norvegiâ. Emissos verò excipiebat adolescentes, idem P. Laurentius, qui olim in Sueciâ versabatur, illosque probè informandos eruditione, simul & religione collegis commendabat.

Cæterum post Regis Stocholmiâ profectionem, Senatus Regni velut acephalus ad Caroli Ducis gremium confugiens, XV. Julii illi per literas significat de Regis Sigismundi abitu; relictis in Sueciâ insignibus ab eo Regalibus; deputato Comite Erico ibi Castellano; & maxima rerum inordinatione publicarum: Oratque propterea quam humillimè, ut Stocholmiam quantociùs veniret, & consilio auxilioque unà Reipublicæ subveniret periclitanti. His porrò Dux acceptis, post triduum rescrispit, quod licet multò libentius illâ vacaret regiminis molestiâ, præsertim ob nimia Reipublicæ nomina, incertam pacis cum Mosco ineundæ spem, & formam gubernationis à Regia Majestate nec dum traditam: Nihilominus tamen cum omnes hominum patriæ, non sibimet ipsis essent nati, & præterea illius foret Princeps hæreditarius, laboremque teneretur subire, qui fructum quodammodo expectaret, spoondit se regno haud defuturum, & propterea Stocholmiam, velut ad regiam, primo venturum tempore, Senatusque consilio negotia Reipublicæ dispositurum, dummodò Consiliarii fidelem sibi vellent navare operam in iis, quæ ad Regni & Regiæ Majestatis commodum proponebat deliberanda; Sicut etiam suum Stocholmiæ adventum expectarent, ut conjunctis animis & consiliis negotia ponderarentur, & posteà executioni mandarentur. Nec parum Senatores his recreati literis, XX. Julii talem Principi spondent obedientiam, hortantes, ut quantociùs advolaret, nulli non gratissimus adventurus.

Interea Ericus Gustavius, Senatorum unus nuper ad Principem Carolum expeditus, cum responso ad ejus Majestatem reversus est, Ducusq; sententiā declarat. Verum Rex Sigismundus, talem patruo formam gubernationis præcisè abnuens, XXIII. Julii aliam præscribit, & quidem hujusmodi confessam tenore: Quanquam Caroli Ducis & Senatus populi consensi ita rediret modo in Poloniam, ut primâ esset occasione patriam invisurus; tamen cum interea temporis illa rectoribus non posset carere, gubernaculum se patruo & Senatu commendaſſe, hâc quidem omnino lege, ut nullos penitus in sua celebrarent absentia conventus, nec aliquas fabricarent constitutiones, unanimiq; regerent consilio Princeps ac Senatus, juri Svetico inhærentes, & Regni suæque Majestatis commodum in omnibus spectantes; velut etiam Regnum ad fidas sibi manus inprimis, deinde hæredum, vel his non existentibus, fratri Johannis, juxta vigorem successionis hæreditariæ,

con-

conservantes : Ideoque se Ordinibus mandatum cupere ut eatenus solum non porrò Duci Carolo & Senatoribus Regni obtemperarent.

Cum istâ proinde gubernationis forma protinus ad Carolum Principem ablegatur , Claudius Slatte , & quadam simul obligationis norma, quâ cuperet potius Rex , quam illa priori, Patruum sibi obstringendum. Sed Dux Carolus neutram acceptans , per eundem rescribit tabellarium , se quidem velut Principem Regni hæreditarium , jure nullo posse regimen detrectare , ast tantum gubernationis & obligationis normas , tanquam minus legitimas , regnoque inutiles regendo, prorsus recusare ; Quamobrem nisi talem obtineret formam regiminis, quallem nuper flagitavisset , & ratione cuius se vicissim literis , sigillisque Regiae Majestati obligavisset , tum Ordines in generali consulendos conventu existimaret , à quo & quomodo in absentia Regis vellent gubernari : Ac nihilominus illius Majestati fidus semper mansurus, pactaque Upsaliæ conventa nullo unquam tempore transgressurus , obsecrans , ut iisdem quoque Rex Sigismundus stare non gravaretur , & cum Regni ærarium penitus esset exhaustum , si pax inter Suecos & Moschos non coiret , unde belli nervus esset petendus , tempestivè suggesteret , aut saltem moneret Senatum , Finnones & Livones , ne discederent , antequam de patriæ esset negotiis communi deliberatum consilio , determinatumque.

Hujusmodi porrò nactus responsum Rex Sigismundus , patruum monuit , ut illa contentus esset Norma regiminis , donec propediem reversus , aliam daret , vel ipsem singula Reipublicæ negotia ordinaret : Quando etiam ventos adeptus secundos , sublatis anchoris , Gedanum navigat , quod X. Augusti fuit ingressus , & initio Septembribus egressus inde , per Posnaniam festinat Cracoviam , hucque Ordines Poloniæ convocat ; Quibus cum habitâ deliberatione , Lindormium Bonde sub anni exitum remisit in Sueciam , & quædam illi commisit negotia cum patruo tractanda. Interim porrò Dux Carolus post Regis hinc abitum , denuò à Senatoribus Regni IX. Augusti vocatus Stockholmiam , ut gubernaculo patriæ manum simul admoveret , cœpit regimen magis aversari , his potissimum de causis , nempe quod mancam Regia Majestas formam gubernationis reliquisset ; quod Senatus æqualem haberet secum regendi potestatem , & præterea in qualibet fermè provinciâ Regni , peculiares deputati forent rectores ; ut Claudio Flemmingius in Finlandiâ ; Ericus Gustavius in Vestrogothiâ ; Arvidus Gustavius in Ostrogothiâ , & hujus frater Carolus in Smalandiâ ; in Uplandiâque Comes Ericus , supremum sibi regimen arrogarent. Simul tam considerans , quantoperè patria suo indigeret auxilio , & quod regium juramentum & obligationem , executioni mandando , juraque regni servando , commoda posset gubernationis forma citrà Regiæ authoritatis violationem comprehendi , mutato consilio Stockholmiam proficiscitur.

Ibi autem post diuturnam cum Senatu consultationem , deum illius assensu concludit XIV. Septembribus , formæ gubernationis à Rege Sigismundo præscriptæ non adhærendum , quod Regio adversaretur juramento & obligationi ; cum sancte iis spopondisset Rex , se patrui & Senatus consilio regnum gubernare obligatum , & nihilominus illis in consilium non adhibitis , ipsam regiminis normam proposuisset. Atque pacta cum Rege conventa , in omnibus esse articulis mandanda executioni , & proinde religionis exercitia Catholicæ abroganda ; ipsius

sectatores officiis & beneficiis exuendos ; Uno Regni Gubernatore constituto , reliquos in provinciis ordinatos , omnino deponendos , & in plenis regni comitiis propediem indicendis , Ordines his de rebus consulendos . Quo Ducis & Senatus decreto M. Schepperus mangoperè animatus , suas renovat in Catholicos invectivas , Regemque perjurii simul accusat , quod suæ religionis hominibus , Ecclesiastica & Politica in Regno permisisset officia . Inde Stocholmenses commoti , sicut etiam XXIX. Novembris à Carolo Principe admoniti , vocato in prætorium Comiti Erico , renunciant obedientiam . Qui deinde post quatriiduum ab ipsomet simul Duce Castellani officio exiit , quod dogma esset Romanum amplexus ; Quanquam Typotius affirmet , non aliter depositum , quam datis solum in officio collegis .

Ecclesiasticos mox Princeps Carolus quoque aggressus Catholicos , his prohibet religionis exercitia . Ideoque Adamus Steinhalius in arce ; Andreas Olavius in urbe , & D. Andreas Stalerus in Drotningholmio , Catholici Sacerdotes , mandato obtemperantes , sacris supersederunt . In castro tamen prius Andreas Olavius cum Schepperero in præsentia Ducis congressus , variis adversarium impedit dilemmatibus , quorum fuit unum hujusmodi . Nam cum Schepperus affirmaret nihil non in Scriptura Sacra esse credendum , aut notam hærefoes contrahendam , quærerit antagonista : Num qui Tobiæ canem habuisse caudam inficiaretur , censendus esset hæreticus ? Nec potuit M. Ericus se resolvere , & Princeps animadvertisens ipsum succumbere , colloquium dissolvit . Siquidem Scheppero & omnibus Augustanæ Confessionis sectatoribus , ac præsertim Stocholmensis , se Dux valde familiarem modò præberet , adeò ut primariis civium symposiis etiam adesse non dignaretur . Quandò simul nuptias Olavi Svercherii suâ honoravit præsentiâ , qui nuper Dantisco reversus , se Principi vehementer insinuaret , quod vulpes Regiā excidisset gratiâ , idque hoc contigit pacto : Regem ille comitatus Gedanum , ibi commemoratis prolixè suis obsequiis , obsecrat ut Regia Majestas illorum intuitu , Nobilitatis sibi conferret insignia . Tum Rex Sigismundus , fidelia minus servitia ipsum sibi & parenti exhibuisse considerans , quærerit indignabundus ; Nunquid non Olaus Liturgiæ & Upsalensi subscriptissit Concilio ? Cumque neutrum esset inficiatus , conclusit Rex illum propterea virum esse minus honestum , nec tales promeritum honores .

Itaque Olaus inde Vendecapa vocatus , Sueciam subtristior repetit , & Ducis , velut dictum , amicitiam appetit , hâcque potitus , talem posteâ gratitudinem illius Celsitudini , qualem prius Regi Sigismundo exhibuit , quemadmodum sequens indicat historia . Cæterum IX. Decembris circa VIII. temporis horam matutini , Principi Carolo consors Christina filium enixa Stocholmiae , marito immensam attulit voluptatem . Consultus porrò super fatis nati filii , nobilissimus & doctissimus Tycho Braheus , respondit infantem tali sub horoscopo genitum , quod regia esset dignitate ornandus . Secus tamen rem narrant Ducis Caroli alii ; Nam perhibent Principem , obtento filio , magis throni cupidum evasisse , & num ipso foret potiturus ita quæsivisse , responsumque à Tychone acceptisse , quod sceptrum ille Sueticum , filiusque progressu temporis essent consecuturi . Sed tandem aliquando præsens anni curriculum est finiendum .

Anno MD XCV. ipsis Januarii Calendis , filius Caroli Ducis sanctâ lustratus undâ , Gustavus à paterno , & Adolphus à materno , appellatur avis . Ad ista verò lustrationis solennia honorifice invitati confluerant Stocholmiae Sueonum nobilissimi , masculam Principi sobolem gratulan-

tulantes, & diebus non paucis hilariter admodum convivantes. Quando convivas Dux inusitatâ sibi quadam devinxit benevolentia, & præcipue Regni Senatum, indeque rumor emanavit, indissolubilem hoc lustrationis epulo inter Carolum Principem & Proceres Sueciæ amicitiam esse contractam; Quam proinde Rex Sigismundus habens suspicetam, variam hinc suspicionum occasionem captavit, & præfertim cum simul posteà intelligeret, Erici Sparrii filium à Duce levatum de sacro fonte, & Carolum nomine vocatum. Offenderat quoque ipsius non minus Majestatem, quod Princeps grandia nimis feuda Senatoribus, velut fomenta quædam amicitiae non intermorituræ unquam, assignasse perhiberetur. Verum Dux famæ mendacia ridens, regiâ se defendit obligatione & juramento; Quibus cum simul honesta Clero promitterentur salary, Præfulibus Regni & Professoribus Academiæ, Ludirectoribus, & Studiosis, illorum Upsaliæ auditoribus, de sustentatione liberaliter providit. Nam quoad Academicos, majoris spei & ingenii excellentioris adolescentibus non paucis sane quotidiana præbuit Upsaliæ alimenta, & nonnullos posteà in Germaniæ Academiis victu simul amictuque donavit.

Quam Ducus molitionem male obtrectatores interpretati, affarentes Carolum cum regiis colludere subditis, deque corio Regis Sigismundi ludere. Sed redeat calamus ad Principis Gustavi lustrationem, cuius post festivitatem Dux & Senatus ad Reipublicæ conversi negotia, Russiam versus expediunt Commissarios, de pacis negotio cum adversariis porrò tractatueros. Deinde Carolus Nykopiam est reversus, ubi conveniens ipsum Lindormius Regis Legatus, solenniter fuit auditus, & XIII. Martii inde expeditus, aureâque donatus catenâ, Stegeburgum ad Regis divertit sororem. Ibi autem cuidam minus legitimo interfuit connubio: Etenim prænobilis filia Petri Comitis, nomine Sigridis, Erico Bielchio pridem desponsata, ipsum magnoperè aversabatur, & Johanne Gyllensternio plurimum delectabatur; Et quanquam jura divina humanaque isti reluctarentur matrimonio, tamen ausu Principis Annæ temerario, in Legati præsentia modò contrahitur.

Quamobrem tumultuosa & periculosa inter primarias Ordinis Equestris familias, videlicet Brahmaos, Gyllensternios & Bielchios suborta controversia, armis fuisset dirempta cum non modico hominum interitu, nisi Dux arbitrum se interposuisset. Stegeburgo interim Legatus in Poloniam remeavit, & Rex Sigismundus cum uxore, votivæ intentus peregrinationi, Cienstechoviense accessit monasterium, quod multis distat Cracoviâ milliaribus, & filiæ simul funus advectum, illic non modicâ humavit solennitate. Ista verò Regis peregrinatio, non minorem Scheppero in Sveciâ, quam in Græcia navigatio Jasonis, Homero præbuit materiem fabulandi. Inter alia siquidem deliramenta, & factionis dissentionisque fomenta, ut odium Regi gravius conflaret, pro concione asseruit Regem Sigismundum nudis pedibus & sacco induitum ideo Cienstechoviam invisiisse, ut culpam Regia Sueciæ insignia nuper ab Evangelicis capescendo Præfulibus, & dogma horum approbando, contractam expiaret. Quibus ille, aliquique non pauci concionatorum, convitiis, pectora Sueonum velut facibus accenderunt, & cruento nimium bello classicum cecinerunt, quemadmodum Princeps Carolus Scheppero frequenter exprobavit.

Cæterum Commissarii Sueonum & Ruthenorum hactenus sunt collocuti, ac post multas diuturnasque altercationes & disputationes,

tandem Narviæ XVIII. Maji die , pax utrinque perpetua , his quidem sancitur conditionibus : Tota Suecus Eftoniâ pacifice frueretur , & Moſchus Kexholmiâ cum provinciâ oppido ſubjectâ , illi propediem reſtituenda ; Alter alterius regiones nunquam infestaret amplius ; Libera utrobius negotiatio vigeret , vectigalibus tamen ſolutis , & navigatio ſecura Ruthenis ad quoslibet Sueciæ , Livoniæ ac Finlandiæ portus , urbesque , & noſtratibus vicifim in Moschovia ſimilis concederetur facultaſ ; Sueciæ ſubditis mercaturam exercentibus , priſtas Mosquæ , Novogardiæ & Plescoviæ tabernas domoſque liceret restaurare , vel novas fabricare ac inhabitare ; Quod iſum Ruthenis Abogiæ , Viburgi & Revaliæ permitteretur . In naufragiis mutuum ſibi ferrent ſubſidium Sveci & Rutheni , licet creditorum exigerent utrinque ſolutionem ; Lappones à Bothnia uſque Varanger nemora inhabitantes , Regno Sueciæ , & reliqui ad Norvegiā non ſpectantes , Moschoviæ annua ſolvent tributa ; Kexholmia non prius reſtitueretur , quam limes eſſet inter Sueciæ & Moschoviæ dominia deſignatus ; Captivi ſine lytro dimitterentur ; Profugi non fovendi ; Pacis turbatores plectendi , nec propterea pax rupta censenda , quod ſi nebulonum aliqui proprio iñſtinctu fecerint incuſiones . Alter hostibus alterius non ferret ſuppetias ; Legati & tabellarii invicem miſſi , velut etiā aliò expediti , liberum utrobius haberent commeatum ; Denique Medicis , Chirurgis , & qui- buslibet artificibus , ſecurus terrâ marique per Sueciam pateret accuſus in Russiam . Cæterum ipſemet Rex Sueciæ & Dux Moschoviæ , crucem sancte osculando , iſtam confirmarent præſcripto tempore paſificationem .

Hujusmodi verò bellorum feriæ , ut fuerunt Sueonibus exoptatiſſimæ , ità & breviſſimæ ; Siquidem interno mox bello & poſteā extero , longeque profecto gravioribus ac diuturnioribus , fuerunt , pro dolor , implicati , & iisdem hodiè implicantur . Carolus enim Princeps , Anno MD'XCVII. armis in Finnones prolatis , domat rebelles . Sequenti proptereā anno armis domi Polonicis impetus , bellum renovat & victoriam reportat . Cumque paſtis non ſtaret Rex Sigismundus , ſed arma denuò pararet , Carolus Finlandis iterum ſubjugatis , & poſtero anno Eſtonibus , Livoniam impugnat reliquam , & totam ferme expugnat , ſceptrumque ſimul Sueciæ ab Ordinibus ſibi delatum , progreſſu temporis capescit , velut testimonio ſequentis conſtabit historiæ . Nec obſcurè hanc tumultuationem & rerum indicabat mutationem , admirabile quoddam ſomnium , quod habuit Dux Carolus aeftivo currentis anni MD XCV. tempore , paululum ante Sudercopēſium publicationem comitorum , quæ toti præbuerunt tragœdiæ occaſionem , idque fuit hujusmodi : Principi videbatur per quietem , quod mensæ accumberet Revaliæ , & ſenior Fitinghovius , ex Livonum nobilioribus unus , varia ſibi apponeret ferula , cumque opercula de patinis tollerentur , quod in una earundem regalia jacerent inſignia , & in altera hominis calvaria , non paucis ſtipata oſſibus item humanis . Protinus autem Dux evigilans , totus cohorruit , & poſt temporis paululum Ludberto Cave-ro ſervitorum primario accedenti ſomnium pandidit , atque non dubiam ab illo , tanquam viro eruditio & rerum multarum perito , accepit interpretationem .

Cæterum V. Junii , genuit Regi Sigismundo filium conjux Anna , vocatum in baptiſmo Uladislavum , cuius nativitas non Suecis tantum , quantum Polonis fuit voluptati . Æquales propemodum tamen fiunt utro-

utrobique parentibus gratulationes, Deo supplicationes, & festae machinarum explosiones. Sed XX. Junii patruus Regis Sigismundi Magnus, Ostrogothiae Dux, qui plurimis haec tenus annis, ob mentis impotentiam in honesta fuit custodia detentus, in praedio Konungzbrogensi de vita migravit; Propter cuius sepulturam, Vasteni apparandam, statuit Princeps Carolus Regni Ordines convocare, & pariter Comitia Sudercopiae his præterea de causis celebrare: Videlicet, quod Rex in Poloniā nuper regrediens, intricatissima Regni negotia, tam Ecclesiastica quam Politica reliquisset, nec sufficientem & convenientem tradidisset gubernationis formam, quam Dux protinus ideò recusasset, ad Ordinumque provocasset conventum, ut in eo decerneretur, à quo vellet in absentiâ Regis, & quomodo, Sueones gubernari? Altera deinde Comitiorum fuit causa, quod Regia Majestas juramento & obligatione in Coronatione depositis, non executioni mandatis, hinc abivisset, gravibus ita turbis in Regno passim subortis occasionem præbuisset, ac præsertim quod Catholicis officia, & libera permisisset religionis exercitia, totque constituisse fermè Gubernatores in Sueciâ, quot essent provinciæ; Qui licet supremum esset regimen Principi & Senatui commissum, ipsis tamen auscultare recusarent.

His verò tertia accedit causa, quod contributio esset imponenda Ordinibus, pro numeranda dote Regis sorori, nec istud per jura Patriæ liceret, citra Sueonum convocationem & approbationem. Quarta, quod conditiones pacis cum Moscho initæ, forent in conventu generali ponderandæ, & Kexholmiæ resignatio, positis regnorum quantocius terminis, communi statuum consilio maturanda, & demum transactio crucis osculo firmando esset. Quinta, quod cum miles & Regni creditores solutionem flagitarent, cui non sufficeret ærarium pendendæ, subsidium ab Ordinibus ita congregatis esset petendum. Ultima porrò causa, ut controversia inter Gyllensternios & Bielchios, in comitiis facilius componeretur. Nec tamen Rege inconsulto, conventum hujusmodi promulgare Dux & Senatus volentes, XXVIII. Julii primum Stocholmiâ, & Calendis Augusti, secundum, Nycopiâ, ut reor, cum Paulo Arziovio Polono, de necessitate Ordines convocandi, illius Majestati perscripserunt. Et quanquam nullum acceperint responsum, tamen comitia indexerunt Sudercopiae autumni tempore à Sueonibus, Gothis, Finnis & Livonibus, præfatas ob causas, frequentanda, quanquamque pro iis contributionem imposuerunt.

Itaque Septembri mense confluunt Ordines Sudercopiae, idque resciens Rex Sigismundus, missa actutum cum literis nuncio in Sueciam, conventum prohibet, nec grata & rata, quæ ibi concluderentur, se ullenus habiturum protestatur. Sed nihilominus Ordines, hujusmodi conventum patriæ salutarem & legibus, priscis Regni consuetudinibus, regio juramento & obligationi prorsus conformem, reputantes, pergunt in proposito. Proinde consultationis initium facturi, hanc imprimis sententiam contrà Johannem Gyllensternum proferunt, quod annuo spacio ipsemet cum uxore, velut captivus, pedem extra suum praedium non efferret; Mille thalerorum inter egenos distribueret, & totidem rivali daret Bielchio, ita persolvendo, munuscula quæ dedisset ille Sigridi.

Potest reliquis absolutis negotiis, quorum gratia minus principaliter convenerant, principalia concordes aggrediuntur, & quoad religionem XXI. Octobris, sequens condunt statutum.

Quandoquidem regio cautum esset juramento & obligatione, né ulla præter Augustanam Confessionem, vigeret in patria religio, nec ullus aliam amplexus, officium vel beneficium in Regno aliquod unquam obtineret; In eo tamen ipsi manere liceret, quamdiu se gereret quietè. Ideò promissum Regis executuri, decernunt, ut nullibi Sueonum alia permetteretur religio, & nemo indigenarum secus in fide sentiens, aliquâ functione potiretur; Ac propterea Sacerdotes Catholici Regno excederent intrâ spaciū VI. hebdomadarum, & Catholici exercitia dogmatis Stocholmiæ, Drotningholmii ac Västeni, prorsus abolerentur, monialesque expellerentur, & cœnobium in alium converteretur usum, scilicet in nosocomium, vel collegium. Præterea quicunque Sueonum natus sive nasciturus, aliam imposterum esset religionem amplexus, quam Evangelicam, sive vir sive fœmina, vel aliam promoveret, aut suos liberos intrâ vel extrâ Regnum in alia educari curaret, ut omni spoliatus hæreditate, contribulibus propinquioribus assignanda, perpetuo mulctaretur exilio. Verum illi Sueonum, qui ante Regis Sigismundi coronationem defecissent, decreto in ea facto gavisuri, quamdiu vitam agerent quietam, absque sacris tamen officio & beneficio. Atqui non de omnibus hoc intelligendum volunt Ordines privilegium, sed tantum iis quos noverant tunc esse Catholicos, nimirum Erico Comite, Erico Gyllensternio, Lindormio & Canuto fratribus; Erico Falchio, Petro Braschio, Petro Princio, Laurentio Ralamb, Jona Petri, Georgio Palmerio & Casparo Paulino. Quandò etiam simul decretum, ut M. Abrahamus Sueciæ Archiepiscopus, propter hæresum extirpationem & aliorum mulctationem abusum, primâ Regnum occasione perlustraret. Hisque Dux & Ordines simul subscripterant constitutionibus.

Postridiè autem Politica concludunt negotia, statuentes, ut Princeps Carolus, Regni foret Gubernator, ità quod in absentia Regis, adjunctis in consilium Senatoribus, omnia regni negotia, & Regiam jurisdictionem, administraret. Nullæ accusations & lites Sueonum in Poloniā ad Regem, sat alias occupatum, defererentur; Sed coram Gubernatore & Assessoribus domi tractarentur ac deciderentur: Nec ulli, gravatos judicum sententiis se arbitrantes, in Poloniā ad Regem, sed usque hujus in Sveciam redditum, appellations instituerent. Mandata Regis ex Polonia huc missa, nec publicare, nec executioni dare per alios liceret, priusquam à Gubernatore & Senatoribus Regni, leta, examinataque, dignitati & commodis patriæ judicarentur convenire. Gubernator Senatus assensu, provincialiumque inhabitatorum nominaret officarios, ubi locorum deessent, & Regia Majestas unum ex tribus Candidatis approbaret, nec Duci liceret à Rege constitutos depônere, nisi alicujus forent criminis convicti. Verum in principio statuti, né viderentur novis rebus studere Ordines, denuò spondent Regi fidelitatem, confidentes vicissim pactis Regem quoque adhæsurum. In fine autem decreti, se obligant ad ejus defensionem, & quod publicato in omnibus Regni Provinciis, quicunque indigenarum, nullis munitis causis rationabilibus, subscribere nollet, vel post subscriptionem deficeret, esset habendus pro infido Regis subdito & Regni perturbatore, ideoque humiliandus & mulctandus.

His porro Comitiis multi Procerum non adfuerunt, Regis timentes offensam, quorum unus fuit Arvidus Gustavius, Ostrogothiæ præsidens; Qui tamen comparuit tandem, & ipsi magnoperè improbra-

bratum quod tardius accessisset; velut etiam quod Concilio detrectasset haec tenus subscribere Upsalensi, quodque sollicite nimium commoda promovisset cœnobitarum Vastenensium. Nec defuit illi responsio, & quidem, quantum ad hos, ita Regiis sibi literis esse mandatum, quibus fibi non liceret ullatenus reluctari. Postea interrogatus num actis velllet subscribere? consensit. Quod ipsum faciunt deinceps plerique absentium, licet non multo post tempore facti pœnitentes, plurimi horum & illorum defecerint. Atque ut toti fieret mundo palam, quid à Sueonibus Sudercopiæ esset conclusum, ipsum evulgavit typis decretum Latinè, Suetice ac Germanicè protinus Gubernator.

Verum finitis Sudercopiæ Comitiis, Dux armatus & primariis Ordinum stipatus cum fraterno funere Vastenum versus contendit, haec tenusque cœnobitæ per amicos de statuto admoniti Sudercopiano, pretiosiorem monasterii supellecilem cistis impositam, cymbā per Veterum lacum clam Visingsborgum ab Erico ibi Comite asservandam, transmiserunt. Cæteram porrò domi, sicut etiam reliquias seu scheleta S. Birgittæ, S. Catharinæ & S. Ingridis, aliorumque perplurium Divorum, ex loculis argenteis & thecis producta sumptuosis, interea domi absconderunt. Postea funus Ducis Magni eò perlatum, in Ecclesia Cœnobii XXII. Novembris precioso mandatur tumulo. Secundum exequias verò ipsum aggressus & ingressus monasterium Princeps Carolus cum Senatu & Regni Præsulibus, aliisque Ordinum plurimis, moniales hortatur, ut desertâ fide Catholicâ, Evangelicam suscipierent, ita in claustrō permansuræ. Sed concordes unanimesque responderant, se paratas extrema potius quælibet pati, quam religionem Catholicam cum Lutherana permutare. Unde plurimum offensus M. Abrahamus, in ipsas vehementer invehitur, & simul illis exprobrat, quod olim conciones audituræ Evangelicas, cera & bombyce aures obturassent, teste Possevino, nè admonitiones perciperent concionantis. A reliquis simul quoque non minus propter hujusmodi contumaciam exagitatae, & præser-tim ab Episcopo Lincopensi, M. Erico Scheppero, & parocho Vastenensi, audacter se defenderunt.

Quando etiam à Duce Carolo minaciter compellatae, ut abscondita Cœnobii bona proderent, diū restiterunt, & tandem Antistita minis perculsa detegit ea quæ domi forisque essent custodita. Ideò supplex Visingsburgi protinus revocatur & domestica investigatur, universaque propemodum expilatur. Enimvero pretiosissimus in primis Ecclesiæ ornatus omnis fuit direptus, hujusque non modicam nocti portionem Daniel Hanssonius & Abel Ericius, ac simul alii nonnulli, inde uxores & filias sumptuose vestiverunt. Loculi tamen argentei S. Birgittæ, S. Catharinæ & S. Ingridis, intacti remanserunt; Ait Di-varum reliquiae aliiso inclusæ tumbis secreto in terram defodiebantur, ne amplius Catholicis proderentur. Plures autem in cœnobia reconditos esse thesauros Christiernus Claudius Baro Amitnensis sibi persuadens, illud virgulâ divinante oberravit, & hac delusus licet muros pa-sim demoliretur, tamen nihil prorsus invenit. Porrò alii bibliothecam monasterii, sane instructissimam, simul diripuerunt; Cujus etiam non modica portio in castrum avecta, machinarum onerationi deputatur, & reliqui codices numero pauciores vilioresque adhuc ibidem reser-vantur. Cum his pariter pauca literarum veterum documenta, seu ve-rius fragmenta, quandoquidem non minus hostiliter cum ipsis quam anteā cum libris processerint, in maximum patriæ, & patriam scribentium histo-riam, detrimentum perierunt.

Inter cætera verò Archivi monumenta spargebant expilatores, se quasdam invenisse literas à S. Birgitta conscriptas, prophetiam de quodam Rege Carolo patriæ cum laude maxima dominaturo, continentes, & Gubernatori obtulisse. Interea temporis conclusa monasterii desolatione, & vestitu pro monialibus alio comparato, XIII. Decembris inde producuntur, quarum seniores IV. cum antistita Sudercopiam profectæ sunt, ut veris initio ad aliud sui Ordinis monasterium Dantisci navigarent. Juniorum verò unam Principis conjux secum aliquandiu detinuit, & tandem victa illius precibus, ad claustrum eam remisit, ubi post temporis paululum vitam finivit. Altera, toro magis conjugali, quam choro delectata, matrimonium inicit. Tertia in Regno quidem remansit, ast cœlibem agens vitam. Verum tres reliquæ juniorum, seniores posteà subsecutæ, Dantiscum quoque secesserunt; Nam Vasteni numero XI. moniales fuerant, harumque VIII. patriam deseruerunt. Ita expulsi vestalibus, harum concionator Magnus Andreæ, in exilium quoque relegatur, missus hyemali tempore per Daniam in Poloniam. Sed hujus Collega Magnus Laurentius, fratre genitus Johannis Gothi, fuit mortuus, ea quæ hunc tumultum præcesserat æstate.

Anno MD XCVI. ineunte, vel priori exeunte, reliqui Catholicon rum in Suecia Sacerdotes, nempè Stocholmiâ quidam Andreas Olavius, & Drotningholmio Andreas Stalerus, decreti vigore Sudercopen sis expulsi, per Finlandiam & Livoniam, ut existimo, in Poloniam festinarunt. Nec pauci Laicorum, quorum præcipui fuerant, Samuel Graben Medicinæ Doctor, & Gabriel Treloadius, tutiorem sibi mansionem in Finlandiâ sub Claudio Flemmingio regionem gubernante, ac Regis causam propugnante, quam in Sueciâ rati futuram, illuc simul profugerunt. Quorum exemplo multi protestantium quoque invitati, videlicet, qui Ducem quodammodo offendissent, vel statuto nollent Sudercopen si subscribere, turmatim ad castra Flemmingii pariter transirent. Quibus ille securum præbuit refugium, Principis Caroli non propterea subverens offensam, & Regis obediens mandato, Gubernatoris monita contemnit. Nam Rex Sigismundus, ausa patrui repressurus, Flemmingio ibi Polemarchæ constituto, mandavit, ut militem, quo contra Moschum fuisset nuper usus, in Finlandiâ retineret, & huic liberam apud agricolas stationem, ex annuisque provinciæ censibus salarii provideret solutionem.

Atque cum miles in stativis forte insolentius se gereret, agricultorū nimium exauriens, & præcipue incolas Ostrobothniæ, nec Flemmingius hujusmodi militum plecteret tyrannidem, miserabiles inde frequenter ad Gubernatorem querelæ deferebantur. Is verò ad initium hujus anni Vasteni commorans, inde XIV. Januarii ad Stenonem Banner literis expeditis, sibi consultum videri memorat, ut quandoquidem Rex tantoperè contra Sudercopensem protestaretur conventum, & suam proinde obligationem, juramentumque infringere procul dubio meditaretur quæ in illo essent executioni mandata, huc non prius admittetur, quam novo promitteret Ordinibus diplomate, religionis immunitatem & integritatem; Consilium tamen hac in re Stenonis, & reliquorum Senatorum, sibi expectandum arbitratur. Deinde Regnum Gothiæ perlustrat, & quos ibi decreto non obtemperare Sudercopen si comperit, graviter mulctavit, horumque non paucis officio privatis, fideliores sibi subrogavit, & in Uplandiam remeavit.

Hactenus etiam omnes Gothiæ provincias factò secundum comitia ini-

initio Archiepiscopus oberrans, decretum quoad negotia Ecclesiastica, tam Upsalenie quam Sudercopense paulo rigidius exequitur. Quippe cum plebecula ceremoniarum mutationi contumacius paucim obligatur, elevationem Eucharistiae; accensos in Missarum celebratione & baptismatis administratione cereos; sicut etiam in hoc salem, candidam vestem, & exorcismum, aliosque in puerperarum introductione, sponsorum benedictione, ac funerum tumulatione, usitatos diutissime ritus, omnino retinere cupiens, primum super his cum illa certamen habuit, victorque tandem factus hujusmodi abolevit Ceremonias, tanquam Ecclesiae reliquias Catholicae. Conquestus tamen magnoperem populus, quod postquam cereus ab altaribus esset ablatus, consueta Dei benedictio, cessaverit in alvearibus.

*Quos non moratus sermones vulgi M. Abrahamus, in sua pergit visitatione inquisitioneque, quando in omnes quidem Confessioni Augustanae adversantes desæviit, sed potissimum tamen in Catholicos Västeni & Stocholmiae, quibus cum non modice colluctatis, antequam illorum quibusdam secus valeret persuadere. Præterea simul cum Divorum imaginibus, sepulchris & ossibus belligerans, ac ita velut cum umbris colluctans, talia S. Birgittæ, S. Catharinæ & S. Ingridis Västani; Lincopiæ S. Nicolai; Vexioniæ B. Sigfridi; Scaræ S. Brynolphii; Schiodvii, S. Helenæ; Munchatorpii, S. Davidis quondam ibi Abbatis; Stregnesiæ S. Eschilli; in Scogeni Ecclesia, B. Hollingeri; in Telgana, S. Ragnildis; & Bothuidiana, S. Bothuidi; vetera monumenta proflus sustulit. Nec invenio quamobrem S. Erici pepercit reliquiis Upsaliæ, & quidem in primaria Regni basilica, ubi quotidie conversaretur, illaque intueretur! Ita religio fuit Catholicæ penitus in Sueciâ Gothiâque extirpata, postquam ab illo quo eam S. Ansgarius tempore huc intulisset, usque conventum Sudercopensem qui ipsam expulit, alicubi semper in Regno plus quam annis DCCLXV. viguisse.*

Sed inquisitio nos revocat Archiepiscopi, non multum ab Hispanica differens; Nam secum duxerat robustos ubique scholasticos, loco litorum, qui aliquo crimine in depræhensos videlicet concubinarios & concubinas, adulteros & adulteras, incantatrices & divinatrices, artemque exercentes quamcunque à Deo prohibitam, jussu suo immanissime virgis primo cæderent, & aquâ deinde gelidâ perfunderent; Qua non pauci lanienâ viribus defecti, semianimes in terram corruerant. In sponsaliorum verò transgressores ita porrò desæviebat, ut si quispiam sibi dudum legitimè fœminam despontasset, & hac tamen ante nuptias repudiata, matrimonium cum alia consummasset, sobolemque ex ea suscepisset, isto connubio improbato, illud approbaret, & hanc illi copularet. Quæ insolita conjugiorum permutatio multis attulit exitium, & ipsimet M. Abrahamo insigne convitum, adeò ut etiam Gubernator illi propter hujusmodi fœnitiam non parum succenseret.

Nec inde M. Ericus Schepperus deterritus, strenuam navat suo Archipræfuli operam Stocholmiae, in tales desæviens quoque homines, & simul iconoclastam agens, in imagines Ecclesiæ parochialis, epiphiaque columnis passim affixa, tam diu fuit debacchatus, donec inde tollerentur. Verum admirandi artificii statua colossea S. Georgii, licet crebrius in eam invehernetur, tamen quod loco difficulter moveri posset, intacta hactenus remansit. Cæterum interea Rex Sigismundus certior factus de Catholicorum ex Sueciâ eliminatione, hanc ægerrimo tulit animo, & præcipue cœnobii Västenensis expilationem desolatio-

nemque. Atque hanc suo contrariam juramento & obligationi, ita demonstravit, quod iis hujusmodi permitteretur status religionis, cuiusmodi postremo aviti regiminis tempore ac primo paterni floruisse. Et quamvis tum temporis non Vastenensi modo, sed etiam in Nadendalenfi, Schogensi ac Vreteni cœnobitis moniales perstitissent inviolatae, nec spoliatae aut exturbatae, tamen Vastenensis modo non esset pristina habitatio indulta.

Ait nihil hac efficiens expostulatione, primo vere misit Sudercopiam cœnobii Vastenensis præfectum, nomine Georgium Farensbachium, qui vestales navi impositas traduceret Dantiscum. Ibi autem susceptis in monasterio Brigittini etiam Ordinis, apud Mariam Magdalenam, jubet quadragecentos annuatim aureos Rhenanos numerari.

Contigit porro claustris Vastenensis desolatio, postquam à prima cœnobitarum introductione initiationeque, annis CCXI. septimanis VI. & III. diebus in maximo flore honoreque perseverasset. Secuta ingens quoque annonæ caritas in Ostrogothiæ cœnobii devastationem, fames, & horrenda passim regionis inundatio, illasque cœlitus plagas ob monasterii desolationem sibi accidisse simplicior credebat plebecula. Secus tamen Illustrissimus Dux Johannes persuasus, cum Ostrogothiæ possessionem fuisset adeptus, magnam insuper monasterii partem demolitus est, adeò ut hodiè vix illud umbram retineat veteris splendoris. Ex residua verò claustris supellectile plumbea, stannea & cuprea, campanam fundi curavit horologio inservientem arcensi; In quo fusor apertè tantum laboris & horroris se fatetur expertum, quod saepius ea fusa & refusa, non tamen consummaretur, & formidabilibus divexaretur ostentis terriculamentisque, ut nunquam amplius ex materia cœnobio sublata se quicquam elaboraturum polliceretur. Quæ illius protestatio multis hominum cognita, & ipsam suu campana sono nimis ingrato, infortunatum operis fusionis successum testatur. Nec horum prætermittere narrationem mihi licuit, quod probi sit historici officium rem prout accidisset, commemorare, & Dei magis, cui ratio historiæ reddenda, quam hominum malevolâ laborantium suspicione formidare judicium & convitium.

Sed Ecclesiastica mittamus negotia, & Politica repetamus, paucisperque in Silesiam ex Suecia excurramus, ac Gustavum Erici Regis filium extorrem revisamus. Qui haec tenus cum Dei, & Abbatis illic beneficio convaluisse, cœpit patriæ tandem aliquando invisandæ torqueri desiderio. In primis tamen matrem post tantum temporis intervallum conventurus, ex Silesia modo per Poloniam, Prussiam & Curlandiam, Livoniique contendit Finlandiam versus, quod hac ipsam commorari provinciâ non ignoraret. Venientis autem famâ Gustavi Claudio Flemmingius regionis Dynasta perculsus, missò illi obviam Johanne Nefvio, suadet redditum, alias captivum Abogiam abducendum. Unde perterritus, Revaliam protinus regreditur, & hinc suæ ad Flemmingium aulae Marschalco expedito, impetrat matri veniam se conveniendi Revaliæ. Quæ nihil cunctata, filium accedit, & agnatum cum lacrymis præ gaudio profusis amplexata osculataque fuit. Nec paucis deinde morata cum ipso diebus, omnem filii explorat fortunam, & super exilio, rerumque penuria querenti suadet, ut opem imploraret Regis Sigismundi, & ibi non adjutus, Principes Germaniæ, velut cognatos, de subsidio compellaret, vel Angliæ Regem aut Ducem Russiæ, horumque unum egeno, propter veterem cum parente amicitiam, certò certius  
ope

opitulaturum. Ipsamet nihilominus pro suarum conditione fortunarum mediocres etiam filio tulit suppetias, qui tandem à matre non citra lacrymas digressus, patrualem in primis Regem Sigismundum super auxilio non frustra compellavit.

Quando is Uplandorum invigilans animis sibi conciliandis, à patruo que & Senatu alienandis, XXX. Junii Varsaviâ Diplomate in Sueciam directo, illis magnoperè compatitur, quod licet pacem ideò cum Ruthenis sancivisset, ut sub ipsa Sueones gravissimo diu bellorum onere fatigati, tandem respirarent, & vires opesque recolligerent; ac propterea mandavisset, né ullis molestarentur interim contributionibus. Attamen illos novis quotannis exactionibus post suum fuisse abitum oneratos, intellexisset; & præcipue non ità pridem, quando non parum contribuissent pro conventu illegitimo prorsus, Sudercopiae frequenter. Hunc igitur ut improbaret, ità & contributionem serio monens, ut nullam facerent imposterum, nisi Regias viderent super ea literas, exceptâ solum pro dote Principis Annæ; quam tamen nulli traderent, citra suæ Majestatis commissionem. Vetat præterea né insuetas facerent vecturas, vel nōvis obedirent vasallis, suo absque consensu deputatis; Sicut neque crederent nonnullis obrectatoribus, qui ut suæ Majestati conflarent odium, spargere non erubescerent, mandato ipsius veteres quasdam Missæ & Baptisimi ceremonias esse abrogatas; Sed honorem defenderent Regium, & fidelitatis servarent juramentum, quod ipsum se vicissim illis facturum, & prima occasione in Sueciam venturum, sancte promitteret.

Eodem propemodum tempore Anna Regis materterā finem vitæ imponens, grandem germanæ liberis Regi Sigismundo & Annæ liquit thesaurum, illeque hinc non parum animatus, patrui non diutius ferendum statuit conatus. In primis tamen per Legatos illum officii admonitus, & turbas aversurus, ut molitio pondus habere majus videatur, obtinet ab Ordinibus Poloniæ & Lithuaniae simul horum ad Suecos Legationem, quæ commissa est prænobilibus viris Stanislao Dziancio, Stanislao Czychovio, & Nicolao Sapiehæ. His autem suos adjunxit Oratores Rex natione Suecos, genereque non minus illustres; Ericum Brahmum à Visingborgo Comitem, & hujus avunculum Arvidum Gustavum à Torpa Baronem, Lindormiumque Bonde, ipsis sanguine conjunctum, ac eruditione magis conspicuum. Qui consenso Dantifici navigio, feliciter Oceanum emetiuntur, & XXVI. Augusti Stockholmiam delati, non modicâ pompâ suscipiuntur; Post IV. tamen septimanas, primo audiuntur, & interea Gubernator potissimos Ordinum, cum Senatu Regni integro convocavit.

Cæterum in Daniâ tranquillus fuit Reipublicæ Status, ubi Christianus IV. annum modò XX. agens, XXIX. Augusti fuit diadematè redimitus Hafniæ, insigni profecto solennitate, quam prolixo satis libello Andreas quidam Dallinus conscripsit, inter alia exhibitum regaliter omnino hippodromiæ spectaculum, magnoperè extollens, ad quod Rex novus cum tali processerit pompâ, quali Pontifex Romanus in publicum solet magnificentius prodire; Cujus propterea offendionem non modicam Danus incurrebat. Verum Carolus Sueciæ Gubernator vehementius longè offensus Claudio Flemingio, quod inclementius populo Finlandiæ borealis dominaretur; ipsum nimiis & insuetis militum gravaret stationibus; monitorias & protectorias suæ Celsitudinis literas contemeret; his ex Suecia potitos mulctaret; Spreto Sudercopensi de-

creto, Regiam executioni mandante obligationem, se contrario Sigismundi Regis accommodaret solum mandato, & ita quodammodo Finnes contra Suecos instigaret, armis rebelles ad obedientiam esse compellendos censuit.

Istud tamen Principis consilium non comprobans Regni Senatus, quod patriæ nihil esse perniciösius videretur quam bellum hujusmodi civile, amicis primò literarum missationibus rebellium animos esse tentandos suasit. Unde suspicatus Consiliarios Dux Finnis clanculum favere, cœpit illis non parum succensere: Quæ prima fuit discordiæ causa inter Principem & Senatum modo natæ, moxque vehementius inflamatæ. Sed tempestivam Consiliarii frigidam tanto affusuri incendio, & suam declaraturi innocentiam, minaces admodum literas Flemmingio scripsérunt. Quibus ipse magis exacerbatus, miniores longè rescrispit, proprio illos sanguine perfidiam hujusmodi erga Majestatem Regiam quandoque expiaturos interminando. Pristino nihilominus proposito Senatus adhærens, porrò consuluit Gubernatori, ut Comes Ericus & Arvidus Gustavius depositâ Legatione in Finlandiam transmissi, suaderent incolis subjectionem.

Sed vana hujusmodi fuerunt consilia, & Ostrobothniensis Finlandiæ populus eadem pressus equitum statione, Ducis Caroli subsidium continuò implorat; Frustrà tamen, & propterea reliquis Ostrobothniensium audacior quidam Benedictus Poutu, incola parochiæ Kyroensis, aliquot secum agricolis ex provinciâ suscep̄tis, mense Augusto Stocholiām navigat, Ducis & Senatus voluntatem exploraturus. Ibi autem quendam Johannem Johannium, suæ quoque inhabitatorem provinciæ & Principis sectatorem, oportunè inventum, de toto consulit negotio, ipsiusque operâ usus non aliud impetrat responsum, quam ut Ostrobothnienses, armis correptis, ipsimet vim vi propulsarent, & stationarios inde profligarent. Hac itaque licentiâ illi magnoperè animati, in regios moliuntur palam rebellionem, cujus non ignarus Flemmingius, inde militem evocat regium.

Hactenus Legati Regis præsentiam Senatus, & audientiam Stocholiæ præstolati, eam XXVI. Septembris in acropoli obtinuerunt, in primis Poloni; Qui ab unione Regum & Regnum, qualis esset capitum & membrorum corporis humani; & ab antiqua confœderatione, affinitate ac coniunctiōne Regum Polonicorum & Suecicorum, cuius hic Rex Sigismundus, velut nodum constringeret, sub quo Poloni etiam ac Sueci unum corpus sub uno capite Rege Sigismundo facti essent, exorsi, fraterne se Dominos Suecos suorum errorum admonere professi sunt; Ac initium esse talium perturbationum solere, cum legitimo Domino præterito, ad consilia publica vocatu alieno conveniretur, sicut in Suecia anno superiore conventum Sudercopensem, Rege non assidente, sed vetante, celebrassent: In quo leges aliquot novæ Regni forent latæ; Exactiones subditis imperatæ; Forma gubernationis mutata; Ministri Regii loco moti; Arces Regiæ in aliorum traditæ potestatem; Diplomata Regis aliquot rescissa; Moneta nomine alieno percussa; Provocationes ad Regem inhibitæ; Et dignitas Regia multis modis circumscrip̄ta esset. Hos excessus prudenter & mature emendari, abolerique petebant, nè similia initia & similes dilractionum causas, eventus etiam & calamitates similes, quæ in Belgio & Gallia, Regnisque aliis nostrâ memoriâ accidissent, in illorum etiam patria tandem excitarent. In hanc verò sententiam, quam ego sum mutuatus ex Chytræo, Legatorum prin-

principe vehementius perorante , Dux Carolus quandoque interfatus:  
*Quid ergo commerui?* Nec acerbius alienigenas compellavit Oratores ; mi-  
nus tamen deinceps indigenis ducens parcendum.

Nam in Comitem Ericum & Arvidum Gustavum à Torpa Ba-  
ronem , alterâ Octobris die audientiam nactos , graviter fuit inventus ,  
illi adulterium , & huic exprobrans homicidium . Qui convenienter per-  
sonæ , loco & tempori se modestius excusantes , suam quoque dépo-  
nunt Legationem , quâ fermè eadem inculcant gravamina Regis , quæ  
Polonici antea exaggerassent , prout liquet ex apologia , quam Princeps  
& Senatores Regni opposuissent , & cum Legatis Suæ Majestati proti-  
nus remiserunt ; quam item à Cythraeo , in compendium hujusmodi con-  
tractam his subjiciam . Principio mirandam societatis Politicæ in Impe-  
riis , in tanta nationum & hominum varietate , & formarum guberna-  
tionis dissimilitudinem ( inter quas sub uno Rege , sicut corpus huma-  
num , sub uno capite rectius regatur) usque ad finem mundi duraturam ,  
celebrant : Et allegatam inter utraque Regna Sueciæ & Poloniæ amici-  
tiam , quæ quidem ambo nunc uni Regi obedirent , sibi gratissimam esse ;  
Sed similitudinem de corpore humano uni capiti parente , Suecis Regum  
fuerum semper amantissimis , minime inculcandam fuisse . Extare enim a-  
moris in Regem Regiamque familiam testimonium evidentissimum , ma-  
ximeque illustre , quod summam Regni vetustissimi , ac liberrimis suffra-  
giis in Regis electione utentis , perpetuo jure hæreditatis huic propagini  
Regum masculæ consignarent . Fateri autem se Regnum à Rege , ut cor-  
pus à capite , gubernari ; eâ tamen conditione , nè membrorum , qui-  
bus parendum esset , officia confunderentur , nec præter leges quicquam  
fieret ; habitâ denique ratione , si Rex , qui rerum potiretur , intra vel  
extra Regnum constitutus fuerit .

Ad querelam verò Polonorum de conventu Sudercopensi , cuius  
decreta in hoc Regnum , veteris Ordinis , justique Imperii perturbatio-  
nem afferre , & dignitatem Regiæ Majestatis ac jura Regalia multiplici-  
ter labefactare viderentur , respondent præter expectationem , sibi tam  
acerbam suspicionem & censuram , præsertim à sociis & amicis accide-  
re , eamque alienam ab officio & mutuâ benevolentia videri , quod de  
Suecicis negotiis non melius instructi , falcam in alienam messem immi-  
tere viderentur , & ea attrectare , quæ ad curam Statuum & Ordinum  
Regni Sueciæ , qui nihil sibi prius & antiquius ducerent fide & obedi-  
entia erga Reges suos , merito pertinerent . Neque illorum magis , quam  
Suecorum interesse , non mutari justam Reipublicæ formam , ac si quid  
mutatum esset , integrum restitui . Neque in hoc conventu quidquam  
contra dignitatem Regiam , vel jura patriæ conclusum , aut novas leges  
latas , sed receptas , executioni mandatas ; Et conservatam religionis tran-  
quillitatem ; pro ratione hujus Regni , sublatas confusiones politicas , sta-  
bilitum Regis juramentum , & tabulas hæreditarias , quæ magis confir-  
mant jura Regni quam debilitant .

Coactum esse conventum à Duce Carolo , quem ipsa Majestas Re-  
gia absens Regno præfecisset , & certiore factum esse Regem & conven-  
tus & causæ per Paulum Arciovium . Fateri se quidem jus convocandi  
soli Principi competere , at intra Regnum constituto ; Sæpius verò præ-  
sentibus etiam Regibus in Suecia , Germaniâ , & recens in Polonia , con-  
ventus quorundam Ordinum habitos esse . Licere enim quoties Rex non  
oppugnaretur , sed propugnaretur cum Rege Regnum , Ordines conveni-  
re , ac æs alienum à patre in Suecia relictum , & stipendia militibus de-  
bita

bita dissolvi, maxime ex Regis esse & Regni, quod nisi fide incolumi  
stare nequiret incolume. Oportuisse etiam, mandante Rege, dotem sorori  
Regiæ consignari, ad quæ extraordinaria collatione opus esset: Et in for-  
ma gubernationis ratione temporis ob præproperum Regis in Poloniā  
discessum, quædam constitui debuisse, adhibitis legibus & juramento Re-  
gio: Cui ob Religionis dissidium, quod nullum fuerat cum jus hære-  
ditarium Regiæ huic familiæ cederet, Ordines Regni hujus maxime  
innitantur.

In specie deinceps ad quædam capita respondent, in primis de ap-  
pellatione, quam ad Regem tanquam Magistratum supremum, vel summæ  
rerum in Sueciâ præfectos, nunquam impeditam vel sublatam ferunt, sed  
reservatam in foro Majestati Regis Suecorum competenti, non in alie-  
num à Sueciâ Regnum Poloniæ concessam; ut nulla fit appellatio ex ju-  
diciis Lusitaniæ, aut Neapolis in Hispaniam, sed à Proregibus in iis Re-  
gnis omnia Regis autoritate decidi: Et in Sueciâ nullam à superiori  
cujusque provinciæ tribunali, in gravioribus negotiis leges admittere pro-  
vocationem ad Regem in regno commorantem, quanto minus liceret  
Regi extra regnum constituto? Quod tamen si fieret, dedecus & præ-  
judicium Majestati Regis & regni non subacti indignum adferret, quod  
summum forum justitiæ in alieno Regno, loco incerto, exilio instar, di-  
vagari videretur. Neque constare, aliquem Regem causas seu contro-  
versias unius Regni in altero decidisse, nisi Regnum illud alteri subiectum  
esset: In Regno autem fórum competens declinantem, caufâ excidere.  
Plurimum insuper ex longinquitate itineris, & sumptuum magnitudine in-  
commodi ac molestiæ oriturum, si esset in Poloniā provocandum.

Ministros Regios ab officiis nullos esse remotos fatentur; Sed qui  
salvo Regis juramento præesse non possent; & aliquos anteâ ab univer-  
sali Statuum concordiâ, non Sudercopenſi, verum illa quæ Regio jura-  
mento jam pridem esset confirmata, seipſos, tanquam membra avulsa,  
â toto corpore segregasse. Regni etiam officia digniora, imò nè minoris  
officium Judicis, Regem præsentem imfmediâ, sed certis conditionibus  
largiri. Literas quoque Regias cum reverentiâ excipi testantur, quæ  
verè essent Regiæ; Sed præter Regis aut Regni commodum, dignitatem,  
&, si penitus consideret, voluntatem scriptas, ac legibus Regio jura-  
mento confirmatis non conformes, suspendi, ut dexteræ & Sigillo Regis  
honos conservaretur, & Rex maturius deliberaret: Non quod plus fa-  
pientiæ aut potestatis sibi quam Regi arrogarent, sed quod Regum in Sue-  
ciâ potestas legibus circumscripta esset, velut Alphonsus Neapolitanus  
dixerat, Regibus esse licita quæ honesta, eosque ea posse, quæ jure pos-  
sunt. Quamobrem in Galliâ, Regno hæreditario, ſæpè intemperatas Re-  
gis largitiones incolumi Majestate tolli: Et in Sueciâ, jus esse vilissimo  
cuique juris patrocinio ſe & ſua contra Regem tuendi, & si quid ad fal-  
ſo narrata effet à Rege reſcriptum, id illæſa Majestate limari & plane  
refſcindi. Id ſi privatis liceret, qua ratione in Regni gubernatione, Rege  
extra Regnum constituto, idem obtrudi poſſet, quod ipſo jure liceret  
evertere, quodque aliquando ipſi Majestati noxiū eſt?

Principem & Senatores incessunt crimine laſe Majestatis, quod ad re-  
primendam privatorum licentiam, non violationem Regiæ Majestatis, decre-  
viffent habendam rationem literarum, quas optimo Regi homines interdum  
peſſimi & rerum Sueticarum imperiti, in perniciem Regis & Regni extor-  
querent, aliquando ad homines privatos, quorum nulla in exequendo, nec  
merito eſſe deberet, potefas. Porro Regem decuiffe pro more omnium  
gen;

gentium, si quid in Regno executioni datum vellet, ad ipsos qui Regno præfecti sunt, mittere, qui vel exequerentur, vel si noxiū aut iniquū esset, Regi rescriberent. Galliæ & Belgii exemplum à Legatis propositum, reponunt; Non enim ex inobedientiā gentis Gallicæ erga Regem civili, sed ex violentiis & insidiosis technis, religionem protestantium eliminare cū pientium, bella illa jam fere immortalia esse facta, in quibus dum mutua viscera confodiunt, Regnum tertius, religione quidem deditus, sed fortassis Regni Gallici cupidior, invadit. Claudium Flemmingium Finlandiæ Rectorem, se se roti Regno opponere, & facta cum Moschis pace, exercitum conscribere queruntur; Id si consensu Regis, non suo, sed pravo aliorum consilio inducti, fieret, magno cum Regni incommodo conjunctum fore. Obsecrant igitur Regem, ut arma deponi, & controversias jure & legibus patriis in Regno dijudicari mandaret, ac ut ille à Philippo Macedone olim, à Rege irato, ad melius informandum, provocant, orantque Dux Carolus & Senatus, nè illius Majestate regnante, Duce vicem gerente, Senatuque consilente, jura Regni la befactentur.

Expressè constitutionibus antiquorum Regum non abolitis, cautum esse, Regni negotia Regibus absentibus, per indigenas Consiliarios atque Primates & magnos Regni Officiales curari debere, nec Regum extra Regnum degentium, jussa aliter, quam si per Senatum consulta essent, oportere exequi, claris legibus & juramento Regum, denique tabulis hæreditariis sancitum est. Easdem constitutiones à Rege Gustavo, ac Erico filio, in Angliam profecturo, renovatas esse; Cumque Rex Hispaniæ Philippus Reginam Angliæ in uxorem duceret, plenè & sufficienter utrius Regno cavebatur, ut sua cuique præminentia & dignitas, illibata servarentur, nec in externum Regnum una cum persona Regis migrarent; utrumq; tamen hæreditarium est. Longè etiam validius argumentum accedit, legibus Sueticis expressum; Tenetur enim Rex in regno præsens, Sueciæ Regnum ex consilio suorum Senatorum, Suecorum nimirum, & non aliorum, gubernare, quanto magis ad idem faciendum obligatur, dum est remotior, & auribus ac oculis alienis uti cogitur? Ad stricti sunt præterea Senatores Regni hujus jurejurando, & Regalia & jura Regni non solum per se illæsa conservare, sed etiam, ut idipsum placere Rex ficeret, semper ac serio monere.

Tributum in Conventu Sudercopeñsi nullum esse imperatum, sed spontanea voluntate eo modo uti lex exigit, oblatum, ex causa in lege expressa, sumptu scilicet bellici resarcendi. De moneta constat, quam plurimis Principibus & Civitatibus illæso jure Majestatis, jus cudendi concedum esse. Vasteni quoque Regis Johannis & Principis fratri nomine colligato numisma cusum, ac Regem posteà etiam Duci fratri facultatem cūdendæ monetæ, quoad viveret, libenter concessisse.

Hæc palam cum Principe Senatus, in sui excusationem & defensionem, non parvo elaborata conatu, Legatis Majestati Regiæ præsentanda obtulerunt. Sed nihilominus clam sicut Dux quærebatur, se Legatis insinuabant Consiliarii, culpâ in Gubernatorem omni conjectâ, se excusabant, & ita gratiam offensi Regis sollicitè captabant, Ducem pariter incusantes, quod ex proprio pleraque arbitrio decerneret, & spretâ Senatus sententiâ, regimen sibi totum arriperet, obnitentesque regiminis consortes suâ autoritate & potestate opprimeret. Contra verò Princeps Senatoribus exprobrat, quod nimiam sibi potestatem arrogarent; minus fideliter cum Regni agerent proventibus, & perni-

ciosam spargerent discordiæ fementem inter suam Majestatem Regiam & Celsitudinem, ut hæ mutuis se confoderent gladiis, & illi Regnum invaderent; Ac propterea, quæ ipsis persuasoribus forent nuper decreta, clam illos modò simulare, & minus honestè improbare.

Itaque cum non aliam pro tanto regiminis labore gratiam sibi referendam consideraret, in Ordinum corona præsentium, altero Novembris die, se molesto gubernationis officio abdicavit, & nihilominus dismissionis ergo, resignationisque conventum, velut loquitur Chyträus, diem concordiæ & constantiæ publicavit, XVIII. Februarii celebrandum Arbogiæ. Nec parum Dux indignans, quod neque Senatus, neque Ordinum reliqui præsentes, resignationem dissuaderent, postridie Grifisholmiam versus inde properavit. Patriæ tamen misertus navigio sine proreta periculose admodum fluctuanti, abstractam admoveat iterum gubernaculo dexteram, & X. Novembris Olao mandat Suercherio, ut interesset colloquio propediem cum Moschis instituendo, propter Kexholmiæ resignationem. Enimvero Senatus Regni non ausus manum regimini admoveare, hujus eventum tragediæ spectabat solum, & cum Legatis de ipsa hactenùs consultabat, quos obsecrabat, ut quantociùs ad Regiam Majestatem reversi, tanto Sueciæ discrimini succurrerent.

Alii etiam non pauci Suetorum Procerum, Ducis Caroli partibus mox desertis, cum Senatoribus Legatisque capita conferebant & animos, quorum multi sua hilares repetebant officia, non curantes modò quod sibi forent à Principe nuper privati. Sed Carolus Gustavius novo Regis jussu commotus, Calmarniam se contulit, quam VIII. Novembris sibi deditam occupavit. Præterea Ecclesiasticorum primarius M. Abrahamus, Regiam sibi & Sueciæ Clero gratiam acquisitus, ad Senatorum quoque partes & Legatorum pariter concessit, missisque per hos ad Regem literis, novam illius Majestati promisit fidelitatem. Ista porrò benevolentia Ordinum erga Regem Sigismundum Legati plurimum exhilarati, sub initium brumæ in Poloniam remearunt omnes, præter Comitem Ericum & Arvidum Gustavum, in patriâ remanentes.

Cæterum non minor belli flamma civilis in Finlandiâ passim glicebat, ubi plebecula nimis à regio milite ut fertur onerata, & à quibusdam instigata factiosis partium Carolinarum studiosis, velut Flemmingius perhibebat, tantum de cervicibus jugum excutere meditatur. Inprimis verò classicum Ostrobothnienses canunt; Siquidem Benedictus ille Poutu, post suam Stocholmiâ reversionem, plurimis vicinorum convocatis, residuos equitum furiose indagarit, captos trucidarit, aut facto in glacie vasto admodum foramine, aquis suffocarit. Deinde horum & his faventium invaserit prædia, opes diripiens, ædes incendens, & quibus flamma parceret, ipsarum trabes, tignosque serrâ plus quam medios dissecuerit, ut incolas domum posteà reversos, suâ obruerent mole, & interimerent. Atque ut majorem reducibus incutret horrorem, capita pecorum ibi mactatorum, distentis faucium rictibus in fenestrîs locata, obverterit propediem reddituris. Nec his contentus, si quos intereâ cæpisset adversariorum, in eos loco metæ collocatos mandarit commilitonibus sclopos & arcus exonerare. Tam fausto igitur militiæ tirocinio plebecula non parum animata, longè frequentior ex vicinis etiam concurrit parochiis, & novo sibi ductore, videlicet Jacobo Ilchan ex Ilmolensi parœciâ delecto, statuit Tavastiam invadere, Careliamque, ut equestres inde turmas Regis profligaret; Domicilia ibi nobilium virorum & præcipue Claudi Flemmingii, Axelii Kur-

Kurchii, Andreæ Boij & Andreæ Laurentii, divitiis spoliata, devasteret; tandemque ipsum Abogiæ castrum, velut nidum hujusmodi tyrannorum, ut aggrederetur, & non tantum manibus, quantum dentibus, illud demoliretur, ita quod nullum ipsius extaret amplius vestigium.

Nec istam ignorans factionem Ostrobothniensium, Claudius Flemmingius, toparcha & polemarcha Finlandiæ, dudum armis illam oppressisset, nisi Olaus Suercherius Abogiæ haec tenus delitescens, & palam Regi, sed clam Duci favens, dissuasisset. Is tamen XV. Decembris Petro Erasmio Regiæ Majestatis Secretario inde perscribens, se plurimum excusat, & suam Regi probaturus innocentiam, in iisdem narrat litteris, quod propterea Dux Carolus conventum Arbogiæ indixerit, ut Ordines in eo clavum sibi restituerent; conjunctis animis, viribusque defenderent, quæ Rege sunt absente ac prohibente decreta, nec illius Majestati accessum permitterent in Regnum, antequam ipsemet Rex iisdem subscriberet; Sicut etiam, ut Status induceret Princeps ad expugnationem Calmarniæ, quod ægerrimè ferret in suis eam manibus Regem habere, & propterea Carolo Gustavio, velut illam propugnanti, magnoperè infestum esse. Sic ea scripsit vulpecula, cuius non diutius moratus suasiones Flemmingius, XXIII. Decembris, Abogia cum suo abiit exercitu, ut conjunctum cum alio Regis milite passim in Finlandiâ stationem obtinente, duceret in rebelles Ostrobothniæ ac Tavastiæ populos.

Anno MDXCVII, ineunte, citerior Ostrobothniæ plebecula dum sequens Jacobi Ilchan, non clementius in Tavastiâ grassatur quam nuper domi esset debacchata. Sed in parochia Birchalenſi, cognoscens eques Flemmingii cohortes appropinquare, noctis beneficio nemus illud XII. milliarium, quod Tavastiam & Ostrobothniam disternat, quantocius repetit; Quam miles insecurus fugientem, non parvam illius edidit stragem. Reliqua verò hostium manus evasit, quod manubiis certatim ejectis, rhedas minus oneratas haberet. Nec porrò illam E- quites secuti quam ad medium nemoris, revertuntur cum victoria: Ostrobothnienses etiam quod tantum evasissent periculum, sibi magnoperè gratulantes, armis depositis, aliquandiu morigeri quieverunt. Interēa quidam Abrahamus Melcheronius, ex Poloniâ veniens, mandato Regis prætorem acturus Ostrobothniæ, factiosorum principes captivat, Benedictum Poutium & Jacobum Ilchanem, illeque mox Abogiam perductus, carceris squalore ac pedore interiit; Sed hic cum aliis quinque agricolarum actus protinus in rotas, horrendo luit supplicio rebellionem.

His autem compatiens superior Ostrobothniæ populus, in occursum Abrahamo ex Kimensi, Joensi, Ulenſi, Limmingensi, Salensi, Piheiochenſi, Kaleiochenſi, Loctensi & Karlebygensi advolat parochiis non inermis: Qui propè Karlebyensem in crepusculo Ecclesiam ex infidiis adortus Abrahamum, personis solum quinquaginta stipatum, XXII. hostium occidit, antequam horum ullus gladium posset evaginare. Corpora cæsorum, quorum unus fuit Gabriel famosus ille Treloadius, in cœmiterio Ecclesiæ Karlebyensis communem nanciscuntur tumulum. Sed Abrahamus mortem & manus evasit furentis plebeculæ, togâ, quæ permagni esset sibi ad fugam impedimenti, utpote talari & pellibus ornata subtus lupinis, Johanni Kranchio lubens relictâ, qui seditiosorum fuit ductor, & agricultor Limingensis. Verum infortunatus fuit ipsi amictus, cum eo indutum non agnoscens in tenebris plebecula, existimansque Abrahamum esse, ita eum pulsaverit, ut mortuo fuerit similior

lior quam vivo, interimque verus elaberetur Abrahamus; Qui tamen postea indagatus à nonnullis agricolarum Karlebygensium, captivus ducitur Stocholmiam, ubi decollatur.

Hactenus Rex à Legatis domum reversis, de miserabili Sueciæ statu luculenter informatus, Varsaviâ XIII. Januarii suas dirigit literas in patriam, quibus per Laurentium Rolambium huc allatis, significat Regni Ordinibus, cum Dux minus convenienter se Legatis declarasset, & contemptâ gubernationis formâ se officio Gubernatoris abdicasset, nè Regni clavus sine proretâ diutius fluctuaret, non citra Reipublicæ periculum, se gubernaculum committere Senatoribus Regni, illud omnino moderaturis juxta leges patrias, propriam obligationem, & traditam gubernationis à suâ prius Majestate formam, Carolo Principe solum inde prorsus excluso; jus & æquum populo administraturis; ipsum à quorumlibet violentia protecturis, & itâ recturis, ut fidam Deo, & Regiæ Majestati propediem reddituræ in Sueciam reddere possint rationem: Ideoque cunctis se Regni mandare incolis, ut Senatui promptam exhiberent interea obedientiam & fidam assidentiam, si hujus nomine à Carolo Duce, seu aliorum quocunque molestaretur; Sicut etiam qua par esset severitate, modò prohibere, ne ullus Sueonum, Gothorum, Finnonum aut Estonum, indicta per Ducem Arbogiæ comitia, præsumeret frequentare. Sed Lindormius Bonde Legatorum unus, quamprimum illuc reversus esset, & cum Rege foret locutus, V. Januarii amicissimas scripsit literas M. Abrahamo Sueciæ Archiepiscopo, quibus pergratam ipsius epistolam Regiæ Majestati fuisse asseverat, & præcipue quod intellexerit suasu illius, ac M. Erici Schepperi, Ducem Carolum se gubernatione abdicavisse; Ideoque Regem omnes condonasse offensas, quas propter seditiones contraxisset illorum conciones, hac tamen conditione, ut fidelissimam navarent illi operam ipsius Majestati imposterum, ad eandemque sedulò reliquum hortarentur clerum, & modò sibi transmissa Regis edicta, coram populo fideliter promulgarent, ac simul executionem promoverent.

Quibus licet Rex prohiberet celebrationem Arbogensium comitorum, tamen Princeps Carolus, Regia fretus obligatione juramento firmata, & constitutione Sudercopensi in eodem fundata, contrarium publicat edictum Stocholmiae impressum, quo pronunciat illos pro infidelibus Patriæ & Regiæ Majestatis habendos subditis, & plebendos, qui die condicto, videlicet XVIII. Februarii in conventu non comparerent Arbogensi. Suasu nihilominus Senatorum, primarii ex Ordinibus se absentarunt, itâ ut solus ex Consiliariis Regni Comes Axelius, & pauci admodum de reliqua ibi comparerent Nobilitate. Nam Senatus cum reliquis Ordinum absentibus secretò congregatus, statuit Regiæ obtemperandum inhibitioni potius, quam Ducis convocationi, & XIII. Februarii, suæ causas absentiaæ ad confluentes Arbogiæ Ordines perscribit; simul demonstrare conans, illegitimum esse conventum, idque his rationibus: Quarum *Prima*, quod Senatu regiminis consorte foret inconsulto indicitus, contra expressas patriæ leges & decretum Sudercopense. *Altera*, cum Dux gubernationi resignasset, non modo potestatem amisisset conventus celebrandi publicos, sed neque ullius valeat esse valoris, quod cum ipso & per ipsum, in hujusmodi concluderetur comitiis. *Tertia*, quod Senatus eò non legitimè vocatus, ut neque Ordinum reliqui, qui potius ob nundinarum ibi convenissent celebrationem. *Quarta*, licet Princeps cum gubernaculo valediceret, palam dixisset ut pro arbitrio ades.

adessent conventui , vel abessent Ordines , tamen omnes peremptoriē deinceps citaverit , itā quod infidelitatis erga patriam & Regiam Majestatem foret notam incursum , qui se absentaret . Quinta , quod suis ex castro Gripsholmensi literis , arbitrio iterum Senatus commisiflet , comparendi , aut foris remanendi , & tamen accedere modō tergiversanti tantoperē indignaretur ac minaretur . Sexta , & potissima ultimāque ratio est , quod Rex publico vetuisset edictō , cui nefas esset relūctari , nē Ordines illum accederent conventum . Ex his demum inferunt Senatores , quod nullum essent robur habitura quae ibi concluderentur , confidentes proptereā omnibus hujus controversiæ candidis æstimatoribus se imposterum fore excusatos .

Hanc nactiū absentium apologiam Dux Arbògiæ , mox antigrammate publicato , illam confutavit , & simul amicis Senatum hortatus est literis , ut compareret : Verum frustrā , & proindè cum præsentibus ibi statibus caput conferens , post longum deliberationis spaciū , tandem V. Martii sequens consensu Ordinum unanimi promulgat decretum , quod *Clytraeus* compendio utens ita recitat : Etsi Serenissimus Rex Sigismundus , literis per omnes Regni provincias publicatis , severè prohiberet , nē comitia hæc quisquam inviseret , existimans per illa suæ Majestatis eminentiam atque dignitatem lædi ; Tamen cum summa Regni necessitas , ad multiplicitia patriæ damna & detrimenta avertenda conventum flagitaret , ac in Sueciâ vices Regis obtinentes , cum necessitas Regni postulet , simul potestatem Ordines convocandi & comitia celebrandi haberet . Proptereā status à Duce Carolo convocati , ut illius Regiæ Majestatis & commodis Regni consulerent , obedienter comparuerunt , sperantes ex Regni Senatoribus plures accessuros , cum ex illorum Ordine tantum unicus hunc invisiſſet conventum . Testantur porrò se nihil , quod vel Christianæ Religioni , vel suæ erga Regiam Majestatem fidei , vel Patriæ commodis adversaretur , acturos , vel novum aliquid , sed ea solum , quae communi cum Consiliariis delibera- tione in Sudercopenſi essent conventu anteā conclusa , executioni daturos esse .

Decernunt igitur , ut una , sola Confessionis Augustanæ Religio , in Upsalensi Concilio ante quadriennium instaurata , & per Regiæ Majestatis juramentum confirmata , ubique in Regno vigeret , nec ullius alterius exercitium religionis uspiam admitteretur , nisi in Regio Sacello , cum illius Majestas intra Regnum esset constituta . Deinde Serenissimo Regi , juratam à se obedientiam & fidelitatem , inviolatè servatum iri testantur . Tertiò , Sudercopenses constitutiones universas & singulas denuò comprobant , & promittunt , se absque respectu illorum , qui essent contradicturi , unanimiter auxiliaturos , ut inviolatè observarentur , atque in effectum perducerentur . Quartò , Legationem ad Regem decernunt , ut in Regnum primā occasione reverteretur , & præsens omnia componeret gubernaretque ; Cumque Legatos ex Senatu Regni vellent designare , petunt ut Consiliarii se intra sex hebdomadas erga Ducem declararent . Quintò , Carolum Principem solum pro Regni Gubernatore , & neminem se alium agnoscere supra vel juxta illum ad Regnum admitti gubernandum , vel concredi oportere , Ordines statuunt . Nec se quemquam alium idoneum agnoscere , qui in absentiâ Regis Principi Carolo præferretur , vel cui aliquam ipſi obedientiam præſtare vel lent aut possent . Ideò se concorditer in his Comitiis Principem rogasse , ut ipſe sicut hactenus , itā imposterum Regni gubernationem sustineret ,

„ donec Regiæ Majestati facultas in Regnum revertendi præberetur. Quod  
 „ cum Princeps receperit, se vicissim Rege absente, in ejus utilitatem  
 „ & commodum, omnem competentem obedientiam, fidelitatem & bene-  
 „ volum obsequium præstare, mandataque ipsius Celsitudinis, & jussa fi-  
 „ deliter exequi velle. *Sextò*, de tumultibus Finlandiæ sedandis, ita sta-  
 „ tuunt, ut nisi incolæ à discretis viris eò mittendis admoniti, arma de-  
 „ ponerent, vel Rex per Legatos ad ejus Majestatem expediundos hujus  
 „ componendæ admonitus tragœdiæ, seditiosis pacem imperaret, tum  
 „ juxta vigorem Regii juramenti, & decreti Sudercopensis in hac proce-  
 „ deretur causa, & hujusmodi conferretur expeditioni ex reliquo subsi-  
 „ dium Regno universo. *Septimò*, de vecturarum mitigatione. *Octavò* in-  
 „ vitant eos, qui non comparerent in his comitiis, ut intrà sex hebdo-  
 „ madas ostenderent, an Sudercenses constitutiones, & in hoc conven-  
 „ tu conclusa Arbogensi, unanimiter secum amplecti & exequi vellent:  
 „ Non assentientes, pro inquietis & abscissis Regni membris haberentur,  
 „ quos Dux Carolus justè punire posset, nè Regnum ab ejusmodi cape-  
 „ ret discordia nocumentum. *Postremò* concludunt, si quidam superiores  
 „ vel inferiores extarent, qui ullum ex nobis hunc visitantibus conven-  
 „ tum, ejusque acta approbantibus, quocunque modo odiſſe & persequi  
 „ aggredierentur; Nos econtra unitos atque obligatos volumus, ut fin-  
 „ guli pro universis, & pro singulis universi eos tueremur, neque com-  
 „ mitteremus, ut ulli nostrum vis atque injuria inferretur, sed pro cau-  
 „ fa, & nobis invicem, vitam fortunasque omnes in discrimen colloca-  
 „ bimus: Neque tamen ità ut conspiremus, vel nos obligemus contra  
 „ eam fidelitatem, quam superiori nostro magistratui nos debere conjun-  
 „ ctim confitemur, vel contra eam concordiam, quâ invicem alter alte-  
 „ ri, legum & justitiae nomine colligati sumus: Verum ut id quod con-  
 „ sentientibus & maturis consiliis, deliberationibusque compositum est  
 „ & conclusum, firmiter & irrevocabiliter servetur ac impleatur. Ità *Cby-*  
*-treus.*

„ Sed initio Comitorum, gravem M. Abrahamo Dux Carolus mo-  
 „ vit actionem, quod non ità pridem literas ex Polonia suspectas à Lind-  
 „ ormio accepisset, & his persuasus edita promulgari regia permisisset,  
 „ Sudercensi adversantia decreto. Illas proinde cogiturn tradere Prin-  
 „ cipi, & simul rescribere Lindormio, se nihil unquam tale cum ipso col-  
 „ locutum Stocholmiæ, quale in suis commemoraret literis, protestando;  
 „ imò quod nullam prorsus cum illo yellet habere communionem, prius-  
 „ quam dogmate Catholico repudiato, Evangelicum amplecteretur. Simul  
 „ etiam Dux Schepperum, quod ipsius fieret in Epistola mentio, aggres-  
 „ sus, inconstantiae illum multiplicitis accusavit, & versipellem appellavit.  
 „ Sed in causâ Principis, velut murus fuit aheneus, firmus & constans;  
 „ Västenensium Pastor Clemens Petrius, qui hoc durante conventu, ani-  
 „ mam Arbogiæ morte admodum miserabili, egestis videlicet, ut ferunt,  
 „ in latrinam intestinis, efflavit. Cæterum primarii Fennorum, partibus  
 „ constantes Regis adhærentes, cognitâ plebeculæ novâ Ostrobothniensis  
 „ rebellione, arma denuò corripuerunt.

„ *Enimvero* post cladem Regiorum sub Karleby, viætrix plebecula  
 „ victoriam prosequens, reliquarum incolis parochiarum ad suam convo-  
 „ catis simul militiam, hostium residuos passim extirpat, & in primis qui-  
 „ dem ad Ilmolensem digressa parœciam, corpora sociorum de rotis pa-  
 „ lisque sublata, in cœmiterio decenter tradit sepulturæ. Postea inau-  
 „ diens numerosus populi exercitus, quosdam equitum Regiorum in pa-  
 „ go

go Nerpensis parochiæ Lappafjordensi adhuc remanere , aliquot suorum cohortes in eos ablegavit ; Quæ compræhensos ibi non paucos in vadiso villam præterlabente fluvio submerserunt . Sed cum angustius es- set spaciū inter glaciem & fundum , quam ut facile humanum capere posset corpus , contis & sudibus captos sub glaciem protrudunt ; Interea pagi fœminæ arreptis urnis , mulætris , & aliis quæ furor subministravit armis , captivorum nonnullis reliquorum capita commi- nuerunt .

Quo tempore , vel non multo anteà , missus in Ostrobothniā à Carolo Duce quidam Israel Laurentius , ut ibi nomine Principis age- ret prætorem , plebeculæ admodum gratus advenit ; Quæ proptereà Johanne Kranchio mox repudiato , illum sibi elegit ductorem . Quando etiam Claudius Flemmingius , sylvam emensus Tavastiæ intermediate , cum duobus millibus & quingentis equitibus ad castra properavit ad- versariorum ; Quibus cum amicè in primis collocutus , prolixâ illos hor- tatur oratione , ut sanguinis habito respectu profundendi , domum in- columnes redirent , Regiæ Majestati obedirent , & annua penderent tri- buta . Sed cum furens fremensque plebecula nullum prorsus locum ad- monitioni relinqueret , & facta in glaciem fluminis Ilmalani descensio- ne , animosa prælio se accingeret , suaque exploderet tormenta in con- fertas equitum turmas , Flemmingius quoque pugnam non detrectans , licet hostibus esset longe impotentior , ita modicas suas disponit copias , ut binæ equitum alæ secus utramque fluminis ripam , & reliquæ per medium tenderent fluvium in hostium agmina , unaque illarum ad- versarios prætergressa , se converteret , & ipsos à tergo invaderet , quando hostem commilitones à fronte ac latere sustinerent ; Quo pa- &to difficilis illi præberetur effugii occasio , & indubia inde oriretur victoriæ persuasio . Nec secus accidit , cum eo stratagemate imperita belligerandi plebecula undequaque circumventa , cæderetur , aut capere- tur . Occubuerunt autem in isto conflictu , quinque circiter agricola- rum millia , quorum non pauci sub glaciem mersi , velut in Lappe- fiordio regios prius occidissent , interierunt , ita ut duodeni colligati , per larga glaciei foramina , horrendo multis vicibus submergerentur spectaculo . Cæterum primarios agricolarum non paucos in vinculis retinuit Flemmingius incolumes , & cum riliquis ductor illorum fugâ pugnæ initio elapsus , diu in sylvarum latebris miser delituit .

Nec profugos vîctor porrò insecurus , cum suo divertit exercitu ad parochiæ ædes Kyrensis , quas miles diripuit , quod dominus illarum Simon Johannius rebellium partibus magnoperè adhæsisset , ipsosque impulisset . Quod ipsum fecerant Lochtensis , Carlebygensis , Pederso- rensis atque Verogensis , Pastores , quos proptereà cum primariis agri- colarum ad se vocatos Flemmingius perduellionis in Majestatem Re- giam commissæ , vehementer incusavit . Socios verò illorum agricultas graviter etiam increpitòs , verbis & verberibus impellit , ut dentibus lateres ex camino evellerent & disturbarent , simul ingeminans : Qui dentibus castrum Abogense vos demolituros crebro jactastis , in præsen- tem vires modò exerite caminum , cumque morsu ipsum subvertere non possitis , quanto minus arcem valuissetis Abogensem ? Nec gravius quicquam in hos , vel parochos ipsorum statuit , sed jussos domum cum multis captivorum remeare , admonuit solum fidelitatis Regi Sigismundo imposterum constantius servandæ . Prætereà duces rebellantis plebecu- læ , quos Abrahamus supplicio affecisset , illaque de rotis acceptos se-

pulturæ mandasset nuper, exhumatos palis denuò imponi curavit. Ità verò mulctatis & pacatis Ostrobothniæ incolis, in Tavastos convertit arma, qui passim quoque concurriscent & seditionem in Regios commovissent, ipsorumque propterea locis aliquot catervas aggressus, multam ex his edit stragem, adeò ut cæforum in Ostrobothniâ & Tavastiâ numerus agricolarum ad XI. millia ascendisse perhibetur. Cæterum quosdam Tavastrorum honestè minus fertur prostrasse Flemmingius: Etenim cum suasu parochi armâ supplices deposuissent, dicitur inermes invâsiſſe, & plurimos horum occidisse; Quâ de causâ suasor deinceps conjectus in vincula, licet non alio se animo id fecisse, quam ut humani sanguinis àverteret effusionem, ignarumque se prorsus Flemmingianæ molitionis fuisse, protestaretur, tamen Abogiæ mandato fuit Dux Caroli gladio percussus. Sed post abitum ex Ostrombothniâ, & obitum Flemmingii, Gubernator Sueciæ Carolus Ostrobothniensis dedit antesignanum & Castellanum supra nominatum, Johannem Johannium à Manichala, qui grandem quoque tyrannidem in hujus exercuit provinciæ incolas, & propterea, sicut etiam quod in quadam contra Principem depræhensus esset perfidiâ, morte fuit Stocholmiæ deinceps non immeritâ plexus.

Verum conventus nos revocat Arbogensis, quo dimisso Gubernator fidelitatis juramentum sibi præstandæ, quoad Rex Sigismundus in patriam rediret, à subditis & provincialibus qui Arbogiæ non adfuissent, plerisque accipit. Quando etiam literis ad Consiliarios missis, interrogat: an Sudercopenses, quas ante biennium communisancivissent consilio, & nuperas Arbogenses approbare, conjunctis cum reliquo animis regno, propugnare, constitutiones, & Legationem harum nomine vellent ad Regiam suscipere Majestatem? Atqui cum Rex Sigismundus contrarium non minus severè mandasset, & Senatores non obscurè prospicerent sibi tutam in Regno haud fore mansionem, nisi Dux obtemperarent voluntati, rebus suis consultius existimarunt, patriâ tantisper excedere, dum Regia Majestas in illam reversa, hanc ipsamet componeret controversiam. Primus verò illorum Ericus Sparrius Regni Cancellarius & Baro à Sundby, solum mutans, secessit cum uxore ac liberis in Daniam, indeque Polonię adiit. Sed reliqui adhuc remanentes, misso ad Regem Johanne Bremer, Banerorum servitore, illius implorant auxilium, & Ducem interea minus categorico lactant responso.

Quamobrem Princeps Carolus fugâ Cancellarii intellectâ, ipsi gravius offenditur, & compræhensum illius famulum nomine Gudmundum, XXI. Aprilis Oerebrogiæ vehementer examinans, cognoscit ideo Sparrium præcessisse, & alios Senatorum mox subsecuturos, ut Regem cum exercitu in patriam reducerent. Quando præterea simul examinatus servitor Claudi Flemmingii, Thomas appellatus, confitetur dominum suum duo millia quingentos equites sub signis habere, & X. navium classem, quodque auxiliaribus à Georgio Farensbechio copiis insuper acceptis, Sueciam invadere cogitaret, ubi non paucos haberet fautores, quorum potissimi essent illius leviri, Ericus, Arvidus, & Carolus, Vestrogothiæ, Ostrogothiæ & Smalandiæ Rectores. Porrò siquidem præterea Cancellarii servitor interrogatus, an Insignia Regalia secum Dominus suus extulisset, fortassis responderet factum esse potuisse, nisi ea in cistis invenirentur Sparrii, quas Stegeburgi tradidisset Regis sorori asservandas, vel hoc aliunde minus recte cognovisset Dux, in Gothiam ideo pro-

profectionem decernit, ut hujusmodi iustraret scrinia, & quid sibi à Gothia esset expectandum Rectoribus, simul exploraret.

Prius tamen Orebrogiâ XXIII. Aprilis ad Senatum perscrispsit Stockholmensem, quem suis haberet partibus addictum, non civium quoslibet, & præsertim Germanos, Regiæ causæ plus longè faventes, Cancellarium Regni Sparrium summoperè accusans, velut Regalium hinc exportatorem insignium, seque Stegeburgum versus conferens. Cæterum Rex nuper factus certior de Fennonum rebellione & internecione, XXVIII. Aprilis, viator super his perscrispsit militi: sibi quidem non gratum fuisse cladis nuncium, sed tamen multo vidisse libentius quod rebellibus illud contigisset infortunium, quam suis fidelibus significans, hisque magnoperè propterea gratulans, utque porro fida suo nomine obsequia exhiberent Flemmingio, quem Sueciæ vocat Consiliarium, Marschalcum, Admiralium, Polemarcham, & Finlandiæ Toparcham, hortans, & salariorum assignans solutio ni omnes totius provinciæ redditus, præmiaque insuper eximia spondens.

Sed interea Princeps Carolus fideliore sibi milite passim ex Suecia advocato, confidentius Gothiam ingreditur, & in primis Stegeburgum divertens, in absentia Principis Annæ, novercam lethaliter ægrotantem in Broborgo invisentis Gunnilam, totum perlustrat castrum sibi mox patefactum, & tandem scrinia Sparrii prodita, Nykopiam inde vel Stocholmiam transmittit, præsentibus deinceps Ordinibus referanda. Vastenum posteà festinat, & propterea Castellanus metu adventantis Caroli perculsus, Arvidus Gustavius, non expectato Ducis accessu, & castro multò minus, vel leviter propugnato, istud, patriamque deseruit. Ità Princeps Vasteno potitus, ipsum suo firmat præsidio, ubi deinde cum Ordinibus Ostrogothiæ, Vestrogothiæ & Smalandiæ colloquitur, statuque totius controversiæ illis luculenter declarato, & juramento ab iis fidelitatis imperato, Elsburgum Vestrogothiæ properat. Improviso etiam Ducis adventu Ericus Gustavius consternatus, & præsertim quod miles ibi Regis præsidiarius arcem Gubernatori Sueciæ nollet occludere, fugâ hujus adventum antevertit, per Daniam conferens se in Poloniæ.

Interim verò Senatus Stocholmensis literas Ducis adeptus, sub exitum Aprilis respondendo illis, asseverat, se aliud non credere quam quod Regalia Sueciæ insignia, in acropoli essent conservata; & ideo se obsecrare, ne illius Celsitudo tantopere fideret delatoribus & falsis rumoribus: sicut etiam ut adhibitis in consilium præsentibus in Regno Senatoribus, regeret, lenius ità regiminis onus & minus dissensiionis pondus, dubio procul, ipso futura. Sed XIII. Maii Claudio Flemmingius in Nylandiæ Finlandiæ beneficiis interiit, & funus Abogiam delatum in propinquâ humatur Ecclesia Borgensi. Miles proinde orbatus polemarchâ, missò ad Regem quantocius nuncio literisque, alium flagitat. Variis quoque tabellariis in Poloniæ expeditis, per evolutum huius anni semestre, Princeps Carolus Regi perturbatum Sueciæ Finlandiæque statum luculenter exposuit: & unus quidem fuit tabellionum, Isacus Behm; alter verò Petrus Braschius, illius Majestatis Secretarius, qui gravem Regis offendam incurrit, quod suam hac in re operam Duci Carolo detulisset, & nullum in Polonia responsum nactus, ibi remansit. Neque Isacum aliquo Rex dignatus est responso, licet Varsaviæ octiduo illud expectaret, & flagitaret. Sine quo proinde cogitur domum redire, quem Dux Elsburgo regressus, Nykopiae offendens, XXII. Maii aliis Regem compellat literis, quibus magnoperè cum eius expostulat Majestate de tanto silentio, quod in Regis & Regni præcipue vergeret detrimentum; nec propterea obscurè

scure intelligens, sibi Regem à profugis offensum esse redditum Senatoribus, hos perfidiæ accusat, quod nulla compulsi necessitate arces deferrissent, & obsecrat, ne malignis illorum fidem haberet relationibus, quibus non minus adniterentur odium seminare inter Regem & se, quam non ita pridem inter se & Regem Johannem nefario ausu prosemnassent. Postea miserabilem Finlandiæ statum, & Claudi Flemmingii fatum, Regi manifestat, simul conquerens, quod Flemmingius malitiosum & periculosum posuisset hactenus Kexholmiæ resignationi obstaculum, ac propterea nisi Moschum suis mitigasset literis, dudum Finlandiam infestasset. Denique cum tam periculosus & tumultuosus esset Sueciæ ac Finlandiæ status, etiam atque etiam orat, ut ipsius Majestas quantocius rescribens, modum præscriberet salutarem tantis patriæ malis occurrenti, vel ipsamet huc sine morâ rediret, & omnia componeret. Plurimum tamen de redditu amplius Regis in Sueciam se dubitare affirmat, quod Polonis sancte spopondisset continuam apud ipsos commorationem; ideoque absens, quantum posset, labientibus patriæ rebus succurrere non gravaretur.

Verum neque his aliud literis effectum est, quam quod Regis fuerit mandato Kexholmia Moscho resignata, cumque ante solennem pacis confirmationem crucis osculatione instituendam, id fecisset Rex Sigismundus, plus nocuissest Sueciæ Regno, quam profuisset, velut deinceps sunt Ordines protestati, nisi Dux postea talem transactionis rationem à Moscho impetrasset.

Porro tabellarius Senatorum in regno adhuc remanentium, Johannes Bremer, benevolum Regiæ Majestatis obtinet responsum. Nam XXIII. Maij Rex missis cum illo in Sueciam literis, seu gravi quodam edicto, coram Ordinibus in eo primum queritur, Principem Carolum Senatoribus Regni extrema minatum esse, quod Regio obedientes mandato, illegitimum Arbogiae conventum non accessissent, vel postea moniti non subscrivissent: Qui propterea metu perculsi, latibula quærerent, partim extra, partim intra Sueciæ Regnum. Quamobrem cum ex officio teneretur, quemlibet suorum subditorum ab omni protegere violentiâ, se Ducem his serio admonitum velle, ut intermissâ hujusmodi persecutione, finaret credito Senatum fungi munere gubernationis; Quem, si nihil ista efficaret admonitio, cum uxoribus, liberis, servitoribus, & bonis omnibus, sub Regiam se protectionem suscipere, ita tamen ut juri deinceps in foro esset competenti responsus, protestatur. Sin autem, neque hæc illi securitas prodeisset, ut Ordines sumptis armis, nimiam Ducis audaciam & contumaciam compescerent, Regiam defenderent autoritatem, Senatusque protegerent innocentiam, alias ex legum præscripto, debitam Ordinibus non morigeris pœnam certo infligendam, admonet.

Dux nihilominus, Regiâ fretus obligatione, Sudercopensi & Arbogensi constitutionibus prorsus edicto adversantibus, ipsi se minus accommodat; Et idcirco residuus adhuc in regno Senatus, nempè Gustavus & Steno Banerii, Thuro Bielchius & Georgius Possius, cum reliquorum Ordinum non paucis ad Regem modo & deinceps profugunt turmatim, in regnoque solum remanserunt ex Consiliariis; Comes Axelius, Hogenschildius, & hujus frater Claudius Bielchius. Variorum porro criminum in exteris oris, in patriam commissorum, Princeps Carolus postea Senatores accusavit exulantes, asseverans illos suafuisse Regi bellum in patriam & se patrum; instinctu eorundem in Dania Regem Sigismundum, & urbibus Vandolorum, subsidia in Sue-

Suecos flagitasse; importationem frumenti ad eosdem annonæ penuriâ laborantes, illinc prohibuisse; Sicut etiam undequaque per Europam sparsisse, quod expulso Senatu, thronum Dux affectaret, & impressa in regnum edicta misisse, quæ gravissimos in regno commovissent tumultus. Quocircà idem non ignorans, Carolum Gustavium Calmarniæ Castellanum partibus addictum profugi Senatus, cum non raro admonitus, decreto nollet Arbogensi subscribere, bellicam eò suscipit expeditionem. Quâ minus quam antea fratres Carolus perterritus, se arcis propugnationi accingit; Ipsam tamen advenienti post leves aliquot velitationes dedit, & captivus inde abductus, diu carceris molestias pertulit. Verum Princeps Calmarniam suo firmavit præsidio, cui præciuntur, Gustavus Saxoniæ Dux inferioris, Georgius Claudius & Olaus Hardius, nobiles Sueciæ viri.

Quibus Gubernator X. Junii mandavit, ut arcem & urbem ad Regis fideliter manus conservarent; nullum tamen citrâ ipsius Celsitudinis voluntatem intromittendo, qui suspectæ in regnum esset fidei; Imò nè Regem quidem ipsum nisi prius suis sponderet literis, se pæctis Upsaliæ conventis adhæsurum, & nihil patriæ vel patruo illaturum detrimenti.

Ità Princeps Carolus integrum Sueciæ Gothiæque regnum tenuit occupatum, & Finlandiam, Estoniamque Livoniæ simil occupaturus, ac tales inde profligaturus, qui decretis reluctarentur Sudercopenſi & Arbogenſi, pro executione Regii juramenti sancitis, Ordinumque hac in re consensum impetraturus, ipsos mense Junio Stockholmiae convocat. Calmariâ proinde illuc profectus, in Ordinum frequentia in primis arcas Erici Sparri Stegeburgo allatas, referat; in quibus Regalia Sueciæ Insignia, nequicquam indagata, loco in acropoli consueto repofita inveniuntur. Deinde Ordines ad alia conversi negotia, Gubernatoris instinctu decernunt, profugos Regni Consiliarios peremptoriè in regnum citandos; Decretis reluctantes Sudercopenſi & Arbogenſi, Regiæ conformibus obligationi, vigore decretorum esse multandos, & cum primarii forent hujusmodi rebellium Finlandi, armis ad obedientiam compellendos; Siquidem aliis nihil haftenus modis esset effectum. Nec ullum hoc Ordinum conventu magis sibi contrarium Dux fuit expertus, quam M. Abrahamum, Regni Archiepiscopum, quo cum propterea vehementer litigans, inter alia ipsi exprobravit visitationem quam anno priori per Gothiam Sueciamque instituisset, & loco pignoris annulum illi suum offerens, se ad probandum obligare voluit, quod adversarius visitando potius carnificem quam Archipræfulem egisset.

Minus tamen succensuit Jacobo Typotio, tanquam alienigenæ, his etiam comitiis præsenti, quod suam tergiversaretur operam contra Regem, ceu dominum pristinum polliceri; gratiam nihilo minus Axelii Comitis interventu recuperat, & valedicentem ità fuit Dux Carolus allocutus, velut ipsemet fatetur in suis de Sueciâ notis: *Si mibi molestiores fuerint Poloni, ego in eos cum Moschos, tum Tartaros concitabo.* Dimisis autem Ordinibus, Gubernator ipsorum executurus decretum, citationem ad extorres transmittit Senatores Sueonum, quam Rex Sigismundus, antigrammate actutum promulgato, confutavit. Interim se Dux profecti accingit Finlandicæ; prius tamen exploraturus, an verus esset rumor, qui de Regis passim adventu propediem affuturi, spargeretur, VIII. navium bellicarum emisit classem, ex ipsaque Dantisco reversa secus intelligens, expeditionem maturat Finlandicam. In

quā socius Carolo avunculo Dux Gustavus delectus, Calmariā Stockholmiam advolat, magno tamen suo cūm infortunio; Nam die quodam ex suburbana militum lustratione ad castrum eques revertens, dūm sclopum fulminare nolentem thecæ vellet imponere ephippio adhærenti, pulvis nitrarius latente accensus igne, femur globo trajicit, indeque postea Dux obiit Gustavus.

Cæterum nocte diem S. Laurentio sacrum præcedente, multus pluit sanguis Stocholmiæ, quod non moratus portentum Princeps Carolus, etiam conjugé secum suscepτā, post quatriduum cum exercitu Finlandiam versus navigavit. Etenim non paucorum in castro Abogensi morantium animos, sibi clam addictos probè sciens, non cruentam inde victoriam certus expectabat. Nec secius accidit, quam speravit; Quippe licet alii fideliores Regi, quam Duci, aliquantulum in primis obsisterent; tamen postea se arcemque dedere compelluntur. Interim Princeps ex castris sub arce positis, hortatus est Revalienses ac Estonum reliquos, ut subscriberent decretis Sudercopensi & Arborgensi; Cæteris se adjungerent Regni Ordinibus, & se Sueciæ Gubernatorem agnoscerent, alias hostium loco æstimandos & mulctandos. De quo proinde mandato Ducis, protinus ab Estonibus Rex admonitus, suo ad ipsos missō Secretario, jubet, ut memores jurisjurandi, fidem suæ Majestati datam constanter servarent. Ibi Dux igitur spe suâ frustratus & non parum irritatus, Abogensis castri ditione non-nihil placatur, & simul armamenta, classemque Regni quibus Finnoes haec tenus essent abusi, adeptus, redditum parat in Sueciam, secum non paucos utriusque sexus, nobiles & plebeios adducit captivos, quorum fuit potissima Claudii Flemmingii vidua superstes.

Sed interea temporis in Ostrogothia quoddam profectò visum admirabile ostentum, aliud longè cruentius bellum Regi atque Duci portendebat. Nam XXV. Septembris in fluvio propè Lincopiam Stangbrogensi, ex proxima villa bini agricolarum piscationi operam dantes, audito horribili tonitruo, cœlum intuentur, & in primis aterrimam conspiciunt nebulam, ex ipsaque mox divisa cernunt attoniti, binas prōdire militum acies, quarum una habitu uteretur Suetico, sed altera Polonico, quæque actutum congressæ magno animorum ardore, & armorum fragore, diu belligerarent, donec victa occumberet peregrina. Cœlo deinde serenato, virum procedere vident multæ majestatis, togâ indutum talari, ceu quodam paludamento, qui dextera gladium portaret cruentum, & ipso inverso guttas aliquot sanguinis in lintrem ex mucrone distillaret; Denique paulatim disparuit, & pescatores ad se nonnihil reversi, manè facto (ista siquidem visio contigit nocte diem XXV. Septembris præcedente) civitatem intrant, & Præfuli M. Petro, Consulique Petro Ericio, cum horrore narrant ostentum, quod illi mox literis commendarunt, & postea observarunt, quod eodem post annum die recurrente, cruentissimus inter Regem Sigismundum & Ducem Carolum, scilicet Polonus ac Suecos contigerit ille conflitus, quem sequenti Anno describemus.

Porrò Gustavus Ericius, Revaliâ digressus, ubi matrem anno priori convenisset, ex consilio ejusdem à Rege Sigismundo tanquam patrueli suo subsidium in primis supplex flagitat, & quandam impetrat Abbatiam propè Posnaniam, quam Polono cuidam assignat, sibi quotannis indē bina florenorum millia numeraturo; Ast ipsem Toruniam fecedit, ultra biennium ibi commorans. Verum Patruus Gustavi Dux Caro-

Carolus ex Finlandico reversus bello, Stocholmiae XXIX. Octobris cum triumpho suscipitur, qui totius dominium regni hactenus, præterquam Finlandiæ australis, Estlandiæque, naëtus, palam teste Chytræo, protestabatur, hæc se omnia pro tuenda vera religione, sicut etiam in Regis ac Regni commodum, emolumentumque, non alia de causa suscepisse. Post redditum vero Principis, morbus Ducis Gustavi ex glande plumbea fortuitò emissæ contractus magis invalescens, ipsi mortem XI. Novembbris concivit, illumque matertera Elizabetha, Christopheri vi-dua Ducis quondam Megapolensis, post octiduum secuta, XIX. Novembbris animam exhalavit. Quo etiam Anni tempore in fata concessit Gunila, Regis Johannis vidua, superstitem linquens filium unicum Ducem Johannem. Rex Sigismundus autem Gunilæ privignus, magis de vita cogitans quam morte, & regni meditans fugitiui serio recuperationem, sub fine m̄ hujus Anni variis emissis Legatis consilia & auxilia captavit, rogavitque. Enimvero in Sueciam Samuel Laschi, in Daniam Ericus Sparrius, in Angliam & Brandenburgum, sicut etiam ad Principem Megapolensem, Marchionem Ansbacensem, urbesque Vandalicas, & præcipue Lubecenses, alegendantur alii.

Anno MD XC VIII. ineunte, vel superiori exeunte, australes Finlandiæ inhabitatores, post abitum inde Caroli Ducis, regio compulsi mandato, Abogiam recuperant, horumque fuit antesignanus Arvidus Ericius. Qui etiam magnopere suspectam habens amicitiam Gubernatoris Suecici & Ducis Moscovitici, ac præcipue quod crebro literarum internuncio crescere videretur, non paucas hujusmodi tabulas & illarum latores intercepit, quas Regi Sigismundo transmisit. Ideoque nova inter Suecos & Moschos dissensio fuisse dicitur oborta, nisi Princeps Sueciæ Carolus, de tanto factus periculo certior, Moschum placasset. Subveritus etiam nè simul propter limitem non adhuc inter Finlandiam & Russiam designatum, aliqua præberetur utrinque occasio discordiæ, hoc demandavit negotium Gabrieli Thomæ, præfecto Ostrobothnien-sium, & cuidam Suenoni Johannio. Qui Gubernatoris obtemperantes mandato, ex illa regnorum parte metas ponere limitaneas, Ruthenis in consilium adhibitis, sategerunt; Frustrâ tamen, quod adversarii plus æquo terrarum desiderarent. Qui deinceps cum aliis Sueonum congressi, æquiori terminorum designationi acquieverunt.

Sed initio Anni Regius in Sueciam Legatus Samuel Laschius advenit, & propterea, sicut etiam ob Reginæ Gunilæ, Principis Elizabethæ ac Ducis Gustavi, exequias, quâ par effet pompâ instituendas, Carolus Regni Gubernator Ordines convocat Upsaliæ. In quorum deinde præsentia & frequentia demortuis fuit parentatum, ac funera quidem Gustavi & Elizabethæ materteræ uno condebantur tumulo, quem in choro S. Catharinæ secus paternum S. Birgittæ sepulchrum obtinuerunt. Verum in Regio Gustaidum sepulchro Gunila ornatissimo, propè dilecti conjugis latus pergratam corporis requiem lubens impetravit. Nec minus fuit luctuosum Polonis istud Anni tempus; Siquidem Anna, Sueciæ ac Poloniæ Regina, partus difficultate modò laborans, animam inde X. Februarii die in castro Cracoviensi exhalaverit. Infans autem utero dissesto, vivus hinc extractus, post faustam baptismi susceptionem, similiter expiravit, unoque cum matre postmodum tumulo solenniter fuerat humatus. Intererà porrò Sueones Upsaliæ secundum iusta suis ibi Principibus soluta, Laschio Regis Oratori, X. Februarii die juxta pristinum Julii Calendarium, aures præbuerunt, magnoperè cum

ipsis, Gubernatoreque Regni Carolo, expostulanti, propter Senatus expulsionem; nuperam Finlandiæ impugnationem; regiorum captivitatem servitorum; & simul flagitanti, seu potius nomine Regis mandanti, horum liberationem; quorumlibet excessuum emendationem, & classis obviam Regiæ Majestati in Sueciam navigaturæ, sine morâ expeditionem.

Alia quoque habuit in mandatis negotia, sed minoris momenti, quibus Dux omnibus respondit, ac in primis quoad Senatum Regni profugum, demonstrat ipsum absque ullâ necessitate, patriam exilio commutasse. Sed reliquum lubet responsonis ex Historiâ Chytrei hic adscribere: "Stipendia, inquit, & feuda se ministris regiis ademisse negat, ait quæ Senatus Regni de his constituisset, executum esse; De quibus proinde Senatorum respondere & rationem reddere obligatum. Quod multis molestiam, invadendo ipsorum prædia & bona cætera, præbuuisse accusetur, neminem justè quæri posse sibi persuadet. De literis protectionis sat Anno MDXCVI. responsum, confidit. De captivis libertati restituendis, ait, neminem se capi jussisse, nisi præcedente consensu Ordinum Regni, sine quo etiam liberum dimittere neminem vellet, & orat Regiam Majestatem ut ratione juramenti ac officii sui, tales patriæ perturbatores, juxta leges Sueticas severè puniret. Quod petitur ut ministri Principis manum ab alieno continerent, si qui accusatorum convincerentur, ex præscriptione legum Sueticarum judicari & puniri facile pateretur. Quod sine ordine judicii aliis injustè ablata restituere juberetur, tetra criminatio esset, quam nemo sibi vere tribueret, ideoque nec opus esset responsione. De citationibus non prosequendis; Si citati se jure possent defendere, literis protectoriis, nihil iis foret opus. Orat autem ut Rex intra VI. Menses diem judicii constitueret, ut controversiæ hujusmodi legitimè deciderentur.

De Finnonica expeditione, affirmat, se ab omnibus Regni Ordinibus mandatum habuisse, ut latrones illos & perturbatores pacis publicæ in Finlandia, vel amicis rationibus, vel gladio ad obedientiam Sueticæ coronæ revocaret. Id se fideliter executum esse, & machinas in Regnum Sueciæ revexisse, nè in Finnonia denuò plus turbarum daretur; De his Ordines Regni, ut de cæteris etiam capitibus cunctis, suam sententiam declarabunt. Si captivis aliquid ademptum, & restitui deberet, orat Princeps, ut interveniente causæ cognitione & sententia judicis, fieret. Orat prætereà ut reliquos feditiosos Finnones Regia Majestas coerceret, nè majores attraherent calamitates. Hæc summa est responsi Legato dati, quem properantem non diutius Princeps detinere cupit; Ideoque si quid aliud nomine Regis sibi vellet indicare, clementer auditum dimitteret. Legatus sperasse se, ait, Principem Regiæ Majestatis postulatis, justis & æquis, gratificaturum fuisse, miraturque eum in plerisque capitibus ad Ordines Regni se referre; qui tamen in his exequendis adversari nequieren. Quod si Princeps nihil de hac sua declaratione mutare decrevisset, sibi id ferendum esse, ac se plenè dimitti cupit.

Dux Carolus de sua coniunctione cum Ordinibus Regni Sudercopiæ & Arbogiæ facta, repetit, quod universi pro singulis, & singuli pro omnibus, eos recessus tueri ac defendere vellent, cumque omnia regio juramento, scriptis Suecorum legibus, testamento paterno, & recessibus hæreditariis conformia essent, justum esse ut Regia Majestas decreta illa Sudercopensia & Arbogensia tueretur; Ideoque Legatum mirari non

non debere , quod ad Ordinum consensum omnia referret. Postridie Legatus Ordines Regni de responso Regi dando deliberantes , scripto hortatur , ut consilia sua eò referrent , ut Regiæ Majestatis justis & æquis postulatis mos gereretur. Ita enim quæ inter Regem & Principem fortasse hactenus incidissent offensiones , mitigari & paulatim tolli , totiusque Regni tranquillitati & saluti posse consuli. Cum autem Ordines per delectos à Legato peterent , ut inter Principem & Proceres quosdam ex Senatu absentes intercederet , ut Reipublicæ negotia & consultationes majori cum fructu & concordia , in Regni commodum peragi possent , Legatus ex Carolo , an id ferre possit , sciscitur ? Cui per Secretarium Legati Carolus id sibi non ingratum fore ostendit.

Postea vero ad Legatum scribens de Sudercopensi decreto Carolus quærerit , cum in omnibus Legationibus Rex de recessu illo , tanquam illius Majestatis præminentiae & dignitati adversaretur , quæri soleret , de quo etiam Legatus paulò ante protestatus esset , anne prorsus cassum & abolidum esse illud decretum Sudercopense Regia Majestas cuperet ? Quod si ita esset , miratur Consiliarios Regni , qui decretum illud Sudercopense ipsi considerunt , & adhuc probant , tantoperè Regi commendatos esse , nec se plus quam illorum aliquem , hac in parte Regi adversatum fuisse. Cupit igitur à Legato de hisce certò doceri , ut se ad Regiam Majestatem rectius accommodet , nec solus præ cæteris hujus recensus nomine accusetur. Legatus vicissim ad ejusmodi quæstiones se nec pro Legati officio , nec pro tenuitate ingenii , respondere posse , ait ; Sed nomine Regiæ Majestatis directum à Principe , & categoricum responsum , an justissimis Regiæ Majestatis parere mandatis , & in præsentia Legati ea vellet exequi , flagitare , & simul dimissionem petere , idque XVI. Februarii. Alio scripto Deum citans testem adfirmat , hæc negotia sibi non minori curæ esse , quam esset propria existimatio , cumque videtur Regni Sueciæ salutem , ac exitum , res secundas & adversas , pacem & bellum , in sola Ducis Caroli manu ac potestate esse , obtestatur eum , ut ad consilia pacata , justa & æqua , quæque pacem & tranquillitatem spectarent , se flecti pateretur , & media proposita non aspernatur ; Atque si non plura , certè tria illa capita , heri à se indicata , se præsente dari juberet executioni : Id toti patriæ salutare & Principi honorificum fore , & ad conjungendos arctius Regiæ Majestatis & illius Celsitudinis animos ; sicut & communem Regni tranquillitatem & salutem profuturum esse.

Rursus etiam ad Regni Ordines scribit de transactione inter Ducem Carolum , & alios Regni Ordines , à se instituenda , nihil hactenus ab ultraque parte petitum esse amplius ; Deinde Carolum aliquot datis sibi responsis , omnia Regis postulata , ad Ordines Regni referre ; Ideò nihil se hactenus , autoritate Regiâ , vel privatâ , obtinere apud eum potuisse. Inprimis de captivis dimittendis , Carolum his verbis formalibus se declarasse , si latâ judiciali sententiâ , captivi liberandi censerentur , se Legato præsente eos dimissurum esse. Mandare autem Regiam Majestatem verissime ut neque Dux Carolus , nec Regni Ordines , in hac causa sibi sumerent judicium , quod illius Majestati , cui soli competeteret , expressè reservasset. Cum autem ad Regni Ordines Carolus omnia devolveret , denuò se ipsos Regis nomine seriò hortari , & mandare , pro sua verò persona diligenter petere , ut Duxem Carolum eò flecterent , ipsimetque decernerent , ut omnes captivi , nemine excepto , pure & fine ulla conditione , aut si id obtineri à Carolo nequiret , præstita cautione , usque

## CHRONOLOGIAE SCONDIANÆ

54

“ad Regiæ Majestatis adventum , liberi dimitterentur. Nam per hoc  
 “medium se sperare , Majestatis Regiæ & Principis animos rectius con-  
 “jungi & Regno toti posse commodari. Sed præcipui quidam Proceres,  
 “privati apud Legatum se excusantes , Ducis Caroli perturbatione o-  
 “mnia impediri , ostenderunt. De nuptiis etiam Annæ sororis Regiæ &  
 “Marchionis Johannis Georgii , sicut etiam illa per Gustavum Baner &  
 “Thuronem Bielche in Poloniam deducenda , Regis nomine actum ; Si-  
 “militer Johannis Regis filio juniori , præfectus & Magister morum Clau-  
 “dius Bielche , jussus est præesse. Sed illi paulò post Legati discessum,  
 “ex Suecia in vicinam Daniæ provinciam secesserunt Hallandiam. Ha-  
 ctenus *Chytreus*.

Cæterum classis non dubiam fecit Legato spem Gubernator,  
 Dantisci tempestivè Regi occurseræ , & illius pariter Majestati perscri-  
 bens officiōse , significat Legatum , quæ par fuit dignitate ac fidelitate,  
 impositum sibi munus obiisse , imputatque Erico Sparrio hanc , velut au-  
 ëtori & impostori , tragœdiam , simul adfirmans , quod licet Anno  
 MD XCVI. hujusmodi calumniis luculenter & sufficienter responsum fo-  
 ret , productæque nec dum confutatae rationes à Regia essent Majestate;  
 nihilominus tamen easdem denuò imposturas evertisse , prout ipsius es-  
 set cognitura Majestas ex nova cum Legato missa apologia. Tali qui-  
 dem tenore Princeps XIV. Februarii ad Regem perscripsit. Sed XX.  
 Mensis ejusdem die Ordines in suis ad Regem Sigismundum literis ,  
 ipsum non minus Ducem excusant , asseverando cum juxta vigorem  
 decreti Sudercopensis & Arbogensis , quod Regio innititur juramento ,  
 ceu fundamento solidissimo , regnum haëtenus prudenter gubernasset , o-  
 mni illius Celsitudinem culpâ vacare ; Sicut etiam protestando , se illas  
 propterea constitutiones nullatenus deserturos , nec passuros , ut Regia  
 Majestas vel alias cujuscunque conditionis homo , ipsas subverterent.  
 Quocirca cum Finnones iisdem se opposuissent , tumultus commovissent ,  
 & hujusmodi generalium defensores statutorum crudelissimè maëtassent ,  
 merito illorum primarios in vincula conjectos esse , non inde liberandos  
 antequam Regia Majestas pro ipsorum sponderet emendatione. Deinde  
 quoad illam de Consiliariis quærelam , respondent , ipsos propriâ sponte  
 officio se nuper abdicasse & in exilium migrasse , velut non difficulter li-  
 ceret probare , modo rationibus & legibus , non armis Rex vellet hanc  
 ponderare ac terminare controversiam , idque humiliter obsecrant , & il-  
 lum Divinæ protectioni commendant.

Prætereà cum in conventu esset ante annum Arbogensi decretum ,  
 quod Senatorum aliqui ad Regem forent alegandi , qui coram hujusmo-  
 di cum illius Majestate omnes transigerent nomine Ordinum controver-  
 sias , & haëtenus nemo illorum tale munus obiisset , ideoque incendum  
 dissensionis plus invalesceret , in his Upsaliæ comitiis actum cum Gu-  
 stavo Baner & Thurne Bielche , adhuc in Regno præsentibus , ut istam  
 in se Legationem susciperent , & simul Principem Annam illuc secum  
 deducerent. Verum quibusdam se prætextibus excusarunt , & pauco post  
 tempore in Poloniam , sine tali commissione nimium odiosa , clam seces-  
 serunt. Quibus cum una Regis Legatus Samuel Laschius , ut existimo ,  
 per Daniam fuit in Poloniam regressus , cuius ex Suecia discessus , tan-  
 tum iis Sueonum qui plus Regi quam Duci faverent , mœstitia attulit ,  
 quantum accessus lætitiae , prius attulisset. Quippe illo in Regnum adve-  
 niente , certò sibi certius persuadentes , causa Principem omnino casu-  
 rum , summoperè triumphabant , & illius sectatoribus insultabant. Sed  
 cum

cum votis non responderet eventus, extrema gaudii luctus occupavit. Ordinum verò alii propterea facti animosiores, cum nuper cognovissent Finnones Regiis studentes partibus, Abogiā recuperatā, novam moliri seditionem, antequam Upsalia discederent, illos literis hortantur, ut freti vigore juramenti & obligationis Regiæ, Upsalensis Concilii & conventus Sudercopensis, Arbogenisque, una secum propugnarent decreta; vel certè quid ab illis in hoc controversiæ negotio esset expectandum, tempestivè, categoriceque manifestarent.

Hujusmodi porrò dissensionis flamas, citra suam nullatenus posse præsentiam extingui Rex considerans, mense interim Martio cum Ordinibus consultat Varsaviæ Polonicis & Lithuaniae, horumque consilio & auxilio fretus, redditum in patriam decernit, non diutius tamen ex Polonia quam XVII. mensibus absfuturus, & ante festum S. Bartholomæi sequentis anni MDXCIX. illuc redditurus. Voti proinde compos factus, suas Polonorum, sicut & Suecorum ibi extorrium, comparat sibi exercitum, non pluribus quam VI. millibus constantem. Numerofiore tamen sibi opus esse contra potentiam Patrui tantam perpendens, in Estoniam & Finnoniam ablegat Stenonem Baner, Lindormium Bonde & Olaum Suercherium, illarumque mandat incolis, ut auxiliares submitterent copias, & cum regiis conjungerent, quibus cum futura æstatte in Sueciam esset navigaturus. Nec his contentus, initio postea æstatte, militem Vestrogothiæ ac Smalandiæ variis sibi addictum quoque reddit literis & promissis, adeò ut ipso reliquoque confisus, non magnopere vires formidaret adversariorum.

Interea Finnones, Ordinum Suecicorum nahti literas, Abogiā rescribunt V. Aprilis, Regem non pacta coronationis, neque alia transgressum decreta legitime sancta, ut neque concilii statutum Upsalensis, ac insuper novis non ita pridem spopondisse literis, se pactis fideliter honestis omnibus adhæsurum, hisque de rebus copiosiorem ab illius Majestate cautionem cum Stenone Baner, & hujus collegis propediem affuturis, se præstolari. Itaque nullam se causam habere accusandi Regem pectorum non servatorum, & quod his quoque quandiu viverent, essent adhæsuri & eadem defensuri; Se tamen Principem velle admonitum, ut Senatus adhibito consilio, non privatâ tantum regnum gubernaret autoritate. Isto autem responso Finnonum non modice Gubenerator offensus, & totam effusurus bilem in Claudium Bielche, qui unicus ex Senatu cum Hogenschildio fratre in patriâ remanserat, XX. Aprilis cum illo inprimis vehementer per literas expostulat, ob non servatum Sudercicense decretum. Deinde memorat palam, Arvidum Ericum coram nunciosis Ordinum Suecicorum, Abogiæ nuper gloriatum fuisse, quod in proximis Varsaviæ comitiis Poloni, accepto promisso super Estoniae, suo deinceps Regno incorporanda, militare in Suecos subsidium sponderint Regi liberalissimum; Sicut etiam quod Ericus Sparrius in Daniam expeditus, à Christiano postulaverit nomine Regis Sigismundi, XII. naves armatas, Elsburgum & Calmarniam in pignus habituro, atque regio per Daniam militi securum in Sueciam transitum, simulque ut Danus ministros Caroli Principis illac ultrò citroque commeantes, detineret, singularem vicissim Regis Sigismundi benevolentiam experturus. Denique cum ista factio esset profugis adscribenda Senatoribus universa, sciscitur ex Claudio, an illi nomine honesti viri essent digni? Atque cum non meliora expectaret ab ipsomet in patriam facinora, mandat ut quantocius se Nykopiam conferens, de sua

sua in Regnum fidelitate daret cautionem , & interim volveret responsum Legato Regis datum , quod nuper typis excusum ipsi transmitteret modo examinandum.

Sed an vera esset Arvidi Ericii narratio , quam suis Princeps ad Claudium literis induxerat , non dispergo . Illud autem addo , in ea prorsus omissum , quod Rex Sigismundus , Danum suæ magis addictum causæ redditurus , ipsi non parum obsecranti annuerit , ut famosa super tribus coronis illa Suecos & Danos inter controversia , quamdiu ipsemet ac Christianus in vivis forent , non moveretur . Proinde cum Ordinibus Sueciæ inconsultis , in præjudicium jurisdictionis Sueticæ hujusmodi concederet prorogationem per Ericum Sparrium Rex Sigismundus , ratam postea Sueones habere noluerunt , & hanc inter alias non paucas , exclusi à Regno Regis Sigismundi , causam ipsi objecerunt . Hoc etiam tempore Steno Banerius cum Estonibus & Finnonibus agit , ut nullum Suecis importarent ceu rebellibus subsidium , sed viros , arma , classemque compararent , & mense Julio sub Stockholmia vel Calmarnia Regem armati convenirent . Nec illi mandato reluctant , aliquot millia contrahunt pugnatorum , & Steno interim revertitur cum grato in Poloniam responso . Quos etiam Rex emiserat ad Regem Angliæ , Brandenburgensem Electorem , Ducem Megapolensem & Marchionem Ansbacensem , Legatos & nuncios , cum optato redierunt similiiter responso . Nam promiserunt isti Principes , se condicto tempore Commissarios in Sueciam transmissuros , quorum interveniente opera , omnis citra sanguinis profusionem controversia inter Regem & Ducem amicè componeretur . Quando præterea Vandalorum rogati mercatores , nè Suecis ante litis transactionem , ullum importarent commeatum , spouderant consuetam cum illis negotiationem se tantisper in gratiam Regis intermissuros . Lubecenses autem obsecranti Regiæ Majestati plus gratificaturi , merces Sueonum , & ipsiusmet Principis Caroli cuprum , quod insignibus esset Regni & Regis notatum , ternis scilicet coronis , arresto subjiciunt , fiscoque tribuunt regio . Quamobrem anno Dux sequenti , multum illis negotii faceffiverat .

Nec præfatis contentus molitionibus Rex Sigismundus , quod patruum intelligeret , variis publicatis libellis apologeticis , suam magnopère causam intra extraque Regnum mangonizare , decrevit & ille scripto quopiam probare , qua impulsus esset necessitate ad movendum ipsi bellum . Proinde quælitus Jacobus Typotius , & non inventus , Rostochio vocatur Dantiscum unus Professorum , Christophorus Sturcius nomine , qui liberale adeptus salaryum , argumenta quibus nitetur contra patruum Rex Sigismundus , in unum comportat volumen , & illa peregrinis historiis ac exemplis , testimoniisque copiose illustrat , talem libro præfigens titulum : *Ausa Caroli Duci Sudermannia &c.* Quo in opere non parum usus fuit opera Suecorum exulantium , & præcipue Erici Sparrii , Lindormii Bonde atque Petri Braschonis , elaborando ; Idque mox per aulas & Academias Europæ , authoris suppresso nomine dispersum studiose volvitur . Sed edita quædam Sueticè , magno impressa numero , sicut etiam symbola non pauca militaria & salutaria , *Salve Guardie* vulgo appellata , usque ad Regis in Sueciam occultantur adventum , quando primum divulganda , iisque Sueonum communicanda qui fidelitatem Regi sponderent . Sub hyemis verò extum , Legatus ad Regem Samuel Laschius revertens , Caroli Duci illi manifestat resolutionem , & cum patrui non fideret Rex promisso , de clas-

classis Dantiscum expeditione, Samuelem initio veris in Sueciam remisit, flagitatum, ut quantocius illa expediretur.

Increbuit proinde rumor toto Sueciæ regno de Regis adventu, quo præsides percussi Calmarnenses, quod illuc primò appulsurus spargeretur, Gubernatorem per literas consulunt, quomodo advenientem deberent illius excipere Majestatem? Et responsum protinus nacti, quod si non obscuram pacis spem ostenderet, & simul literis promitteret Rex Sigismundus se non aliter cum patruo & Ordinibus Regni processurum, quam suum exigeret juramentum & obligatio, intromitterent illum; Sin autem recusaret eam dare cautionem, & arma intentaret, vim vi omnino repellerent, nec cum ejus Majestate transfigerent. Haec tenus etiam Laschius in Sueciam regressus, Nyköpiæ Principem convenit, proterviusque flagitans, ut sibi actum classis committeretur ad Regem deducenda, responsum obtinet, quod tantus Regni apparatus navalis imprudenter alienigenæ crederetur; Ideoque per indigenam sine morâ naves Regi transmitendas, ubi tamen prius convenientem daret cautionem, quod illis neque in perniciem Ducis neque Ordinum esset abusurus. Verum Legatus absolute, citraque hujusmodi conditionem, classis urget missionem.

Attamen hoc se pacto nihil effecturum probè animadvertis, spem classis simulat obtinendæ, & Stockholmiam properat, ibique cognoscens toto sparsum regno esse rumorem, quod Rex cum immenso in patriæ vastationem exercitu foret propediem adventurus, ut istum Sueonibus & Gothis metum eximeret, Regiaeque Majestati addictos redderet, XII. Junii die Gregoriani, datis ad Archiepiscopum, Professores Academiæ & Provinciarum Episcopos literis, per sancta Dei Evangelia, effusumque jurat Christi sanguinem, hujusmodi famam nihil prorsus habere veritatis, & Regem cum exercitu quidem modico accessurum, sed quo in nullius esset perniciem abusurus, dummodo ipsius Majestati nulla exhiberetur violentia, & regni gubernaculum pacifice restitueretur; Ac proinde ut promissam illi fidelitatem & obedientiam servarent, hortatur. Interea Rex Sueticæ accinctus profectio- ni, ex Polonia festinat in Prussiam, & Marienburgi suum lustrat exercitum, quando non obscurè prospiciens nullam sibi classem ex Suecia submittendam, secedit Dantiscum, ubi plus quam centum onerarias mercatorum naves mediocriter ad bellum instructas, conductit. Ast dum commoraretur Marienburgi, ferunt quosdam Optimatum Sueticorum, conclave unum in castro Principis Caroli destinasse captivationi, & nonnullos propterea rhytmos in ejusdem pariete tum exaratos fuisse idem vaticinantes; quos inspiciens Comes Ericus, & quidam alii Procerum, æstimatores fortunæ bellicæ prudentiores, mox oblitarunt, antigrammate substituto, quâ monerentur prioris authores scripti temerarium esse aucupem, qui antequam potiretur aviculâ, caveam præpararet.

Hujus Princeps ignarus, non autem Regii adventus, primarios Gothorum, & præsertim militares ac nobiles viros Vasteni convocat, quibus Regis detegit molitionem, non difficulter ideò consentientibus illius Majestati armata manu Calmariæ occurendum, ut tempestivè intelligeretur quid Suecis & Gothis foret expectandum. Itaque conven tu soluto arma certatim parantur, & Gubernator Stockholmiam digres- sus, Uplandos & Norlandos, Dalecarlosque, ad fidam in necessitate assistentiam, serio literis & nunciis hortatur. Sed ante suum Vasteno-

abitum , scripsit una cum Ordinibus ibi congregatis , ad Regem , Dantisci modo constitutum , ut dimisso quem sub signis haberet exercitu , & datâ cautione , quod nihil contra juris ordinem esset ulli Sueonum irrogaturus detrimenti , citra formidinem suos accederet fidos subditos , ab iis quâ par foret obedientia & reverentia suscipiendus . Quibus cum literis quidam fuit expeditus Tycho Laurentius , quem Laschius Regis Legatus præveniens , aliam ipsius Majestati occinit cantilenam ; nempe quod Princeps Vasteni bello classicum cecinisset , milite Gothorum ad sua castra non difficulter pertracto ; quod illi persuasisset , Regem cum immenso propediem Calmarniæ affuturum exercitu , & patriam clade non modica sane affecturum .

Credidit ille narrationi , & missis ad omnes Regni provincias literis , talem incolis formidinem eximere conatur , simulque factionis patrum vehementer accusans , militi Sueciæ Gothiæque mandat , ut militia Ducis posthabita , illius Majestatis velut legitimi Domini se partibus adjungeret , & Regiam defenderet autoritatem , alias proditionum subitum pœnam . Quibus miles Uplandiæ equestris , & Vestrogothiæ Smalandiæque commotus potissimum , sicut etiam literis simul persuasus extorrium cum Rege Procerum , fidem Duci præstatam deserit , & Regiam sequi militiam decernit . Quando pariter Estones ac Finnones , Regio satisfacturi mandato , cum non contemnenda potentia & navium frequentia Venedico sinu trajecto , in portum tantisper divertunt Groneburgensem , sex Stocholmia milliaribus distatum , donec binis per mare Catastropis emissis , de Regis fierent adventu statuque certiores . Sed interim Gubernator , suis non indormiens rebus Stocholmiæ , benevolum à plerisque Sueonum obtinet responsum , & classe Regni emissâ in Oceanum , Admiratio hujus mandat Joachimo Schelio , postquam foret mare pervagatus , Calmarniam se conferret , quo interim ipsius Celsitudo cum terrestribus copiis festinare cogitaret , Regem exceptura .

Huic autem se protinus accingens profectioni , Stocholmia Nykopiam versus contendit ; Sed prope Telgam intelligens , plus quam trina Finnorum millia Regium in portu Groneburgensi adventum expectare , quantociusque propterea Stocholmiam regrediens , urbis occludit portas , & suis ubique positis in ea , castroque excubiis , Uplandiæ plebeculam jubet à terrâ Finnones invadere , ipsemet à mari eosdem simul aggressurus & domum compulsurus . Extemplo igitur multa hominum millia concurrunt , qui binos Professorum Upsalensis , nempe M. Nicolaum & M. Jacobum Ericum naucti antesignanos , cum aliis quibusdam rerum militarium peritoribus , in Finnones animose contendunt , præcipue petasonibus in cibum onerati , unde fuit petafona ista deinceps vocata expeditio . Ab alia vero parte maritimus in Finnos properat exercitus , & illi proinde viribus suis diffisi , sicut etiam quod nullum belli haberent inchoandi mandatum à Regia Majestate , anchoris elevatis , patriam versus proras dirigunt ; Quos tandem classarius Ducis miles infuscatus , sub Alandia non paucos illorum oppressit , & reliqui Finlandiam incolumes adiverunt .

Cum maximo autem Regis commodo & Ducis incommodo clas- sis sub Alandia septimanis deinceps aliquot vento detinebatur adverso . Nam ille interea nullum in mari nauctus obstaculum , Dantisco Calmarniam salvus velificat , sicut mox commemorabimus , & Dux auxilio classiariorum sperato diu frustratus , à Rege cautionem obtinere non potuit , sibi & Ordinibus necessariam . Quamquam & illud cum Principis non

non parvo fuerit emolumento, quod classis præsentia Finnones diu remorati, non se cum Regiis conjunxerint copiis, aut in absentia illius Ducatum invaserint, prout fortassis mandatum habuerunt. Verum plebecula Uplandiæ, in via cognito Fennonum abitu, domum ovans relabitur, & Gubernator Stocholmiam reversus, quoslibet fermè Regis servitores in vincula conjicit, & carceribus horum custodiæ non sufficientibus, in facello arcis non paucos illorum asservat, idque propterea quod cum Fennonibus collusisse depræhenderentur. Cæterum Principes exteri à Rege Sigismundo prius rogati, ut sequestræ agerent, cum tempus modo instaret condicium, suos hoc in negotio expediunt Legatos, ipsique ante Regis adventum delati Calmarniam, XXIX. Julii Carolo Duci perscribunt, se litis ergò componendæ huc advenisse, publicam ideo fidem ab ejus Celsitudine flagitando.

Sed antequam solveret Rex Dantisco, Gustavus Ericius ibi accedens, orat veniam una in Sueciam trajiciendi, & repulsam passus, Toruniam remeat. Porro Majestas Regia, secum binis amitinorum, videlicet Edvardo Fortunato Badensium Marchione, & Johanne Frisonum Orientalium Comite, acceptis, cum navali exercitu, quem Georgius ducebat Farensbecius Livonum nobilissimus & bellicosissimus, sub finem Julii mensis Gedano solvit; Et prospera usus navigatione, sub Calmarniam pervenit XXXI. Julii, triduo scilicet post Fennonum à Groneburgo abitum, qui potius vidissent, sicut & reliqui, partibus faventes Regiis, quod Stocholmiam se in primis contulisset. Verum graviores illum causæ impulerunt Calmarniam, & huic appropinquans, cum aliquot naviis præmisso Samuele Laschio, arcis & urbis flagitat deditioñem ab illarum præsidibus, Georgio Clausonio ac Olao Hardio. Qui non magni momenti cautionem adepti, portas Regiæ Majestati pandunt, & nihilominus mox custodiæ traditi, missio clam ad Principem inde tabellario, qui solum quatri duo emensus fuit prolixum illud iter Calmarniam inter & Stocholmiam, statum suum ipsi manifestant. Miles autem Smalandiæ ac Vestrogothiæ Regis exhilaratus adventu, turmatim confluit Calmariæ, Principemque vehementer execratus, asseverat quodam ipsius dolo se Vasteni deceptum fuisse, ac impulsum ad spondenda in Regem subsidia.

Causa vero potissima quâ motus Castellanos Rex Calmarnensis in vincula conjecisset, ea fuit, quod patruus Carolus Gustavum ejus Majestatis ibi prius deputatum Præsidem, captivasset, & adhuc detinere cum aliis non paucis regiorum servitorum, captivum. Ideoque talem porro vindicaturus Rex despectum, fertur Gustavo Brahæo in mandatis dedisse, ut caperet quotquot Ducis posset compræhendere ministros, & promulgata simul proscriptione Comitis Axellii; Georgioque Posse mandasse, ut ipsum sisteret Majestati ipsius vivum aut mortuum. Quorum ignarus Princeps Carolus, velut etiā Regii adventus Calmarniam, gnarus autem Legatos illuc advenisse Germanicos, horum literis Stocholmiæ IV. Augusti die respondet, nullam se Regi causam præbuuisse offensionis, nec tamen hujus culpam se tantum Regiæ Majestati, quantum ardelionibus nonnullis, qui diu interitum utriusque affectassent, tribuere. Deinde monet illos ut siuum Calmarniae præstolarentur adventum, cum ibi propediem esset futurus. Sed postridiè cognoscens ex literis Georgii Clausonii, Regem illuc appulisse, actutum illius Majestati per Lindormium Ribbing perscribit, de Fennonum quærendo militari apparatu, & simul ipsum hortando Re-

gem, nè diutius malignis profugorum consiliis se permittens seduci, peregrinum dimitteret militem; Comitia indiceret; in his exigeret ad ministrati rationem regimini, & interim sibi cum uxore ac liberis, sicut & aliis Regni Ordinibus, quiete licet vivere. Denique orat, ut tempestivè significaret, quâ Stockholmiam proficisci cogitaret, itâ se provisum ut pro dignitate ubique locorum exciperetur.

Omnia etiam studiose Dux ordinat Stockholmæ, & vocatum M. Eri-  
cum Schepperum civitatis parochum, monet, ut seditionis prorsus con-  
cionibus imposterum supersederet, nec oleum ultra igni adderet plus fa-  
tis gliscenti. Neque ille hortationi reluctans, deinceps causam occœpit  
Regiam promovere, ita gratiam ipsius Majestatis recuperaturus. Non  
diutius Princeps sibi morandum Stockholmæ putans, arcis & urbis pro-  
tectionem suis commendat sectatoribus, quos interfuit Carolus illius Cel-  
studini filius naturalis, & Nycopiam demigrat. Hinc verò literis a-  
cerbioribus, quam ante quadriduum Stockholmia, cum Rege agens, cum  
ipso graviter expostulat, ob captos Calmarniæ Præfides, & detentos  
æquo diutius tabellarios, militemque in Regni desolationem peregrinum  
huc adductum, ac postulat quantocius intelligere, num ut hostis, vel  
amicus, vellet excipi? Quod tantopere propter denegatam sibi classem  
quæreretur, neminem commovere, qui causam rei ponderaret diligenter,  
legibus rectius quam armis decernendam. Cum his fuit expeditus  
quidam Christopherus Sciptrodius, qui alias simul Legatis Principum  
Germanicorum attulit, quibus Dux obsecrat, ut Regem sibi redderent  
amicum, & ipsi suaderent exercitus dimissionem peregrini. In eandem  
quoque sententiam scribit iisdem XIII. Augusti, & simul addens, Calmar-  
niam hac vice non se venturum. Cumque respondissent se his de re-  
bus cum Majestate Regia egisse, & quasdam transactionis conditiones  
obtinuisse, ejus proponendas Celsitudini, quando sub fide publica fo-  
rent ad colloquium permitti, Princeps ideo se resolvens XVII. Augusti  
mandat ut Norcopiæ vel Lincopiæ his de rebus se convenienter.

Enimverò Dux sibi & suis tempestivè prospecturus, cum Rex se  
non dignaretur resolvere, quid à se foret expectandum adversariis, mi-  
litem & plebeculam Sueciæ Gothiæque suis addictam partibus, convo-  
cat, ac itâ non contemnendo stipatus exercitu, Norcopiam Ostrogothiæ,  
quod Regem Calmarnia Stegeburgum meditari profectionem intellige-  
ret, cum illo processit, coram exploraturus quidnam moliretur. Nec  
segniter suis Rex Sigismundus etiam consulit rebus, utpote qui princi-  
pio sui Calmarniam adventus, Samuelem Laschium, nonnullis succin-  
ctum copiis, Stockholmiam Sueciæ Regiam misisset occupatum, isque  
simul in mandatis habuit, ut depositis ibi servitoribus & fautoribus Ca-  
roli, regios substitueret, Claudium Bielchium & Jacobum Clausonium;  
Finnones revocaret; classem Regni à Duce avocatam, Regi conciliaret;  
& Regia publicaret edicta, per omnes Sueciæ, Gothiæque provincias,  
quibus asseveraret Rex neminem incolarum meritò posse admirari, quod  
in Patriam cum exercitu adveniret, qui vel obiter consideraret, quan-  
tas illius Majestati patruus inferret injurias, à quo nè classem quidem  
propriam obtainere posset. Nec minus conqueritur de falsis in Regno  
sparsis rumoribus, ad sedendum simplices Regni plebeculas, quos in-  
ter non postremus esset, quo promulgatum esset, sibi dudum mortuo  
sutorum formâ valde similem esse substitutum, & Polonos eundem velle  
Sueonibus modo obtrudere. Deinde spondet se paetis fideliter adhæsu-  
rum, & an ipsi fidelitatis stare juramento essent vicissim animati, seriò  
quæ-

quærit? Quod si non abnuerent, velut confideret, ut se quantocius declararent, & rebelles desererent. Paucis verò post abitum Legati diebus, Rex Calmarnia Stegebürgum navigaturus, ita forsitan persuasus à Senatoribus, suas ibi uxores apud Regiam habentibus fororem, vel quod patrui declinare occursum cogitaret, Johanni Veiero cum aliquot vexillis peditum Germanicorum, & nonnullis equitum turmis Vestrogothicorum, Smalandicorumque, mandat illuc per terram contendere, quos ipsemet mari subsequitur. Adversa porrò tempestate in portu detentus Barresundensi, binas ibi Ducis literas primum accipit præfatas, & non dignatus illum responso, utramque detinet tabellarium cum Tychone Laurentio. Inde tamen XVII. Augusti, militaribus Regni viris perscripsit, ut quandoquidem intelligeret Principem sub signa cogere plebeculam, & militem undeaque colligere, memores illi promissæ fidelitatis Regiis non indormirent partibus promovendis. Consilia Ducis explorarent; ipsius compræhenderent, vel occiderent emissarios. Postea secundos nactus ventos, navigationem continuat, & gravi jactatus tempestate, cum navi prætoria, & CD. Ungaris, Stegebürgum primus defertur, quem reliqua non mox subsequitur classis. Nec hujus absentiam & modicam Regis potentiam, Dux Carolus in propinquuo Norcopensium oppido constitutus, ignorat, & propterea ut ipsemet palam deinceps confessus est, si quidpiam mali illius Majestati desiderasset inferre, habuisset interea commodissimam sanè occasionem tali proposito satisfaciendi.

Agminibus tamen Johannis Veieri, quæ modo non procul abesse cognovisset, haud parsurus, Norcopiâ cum suo paulisper exercitu Lincopiam secessit; Ibique XX. Augusti Commissarios in primis auscultat Germanicos, de pacis negotio perorantes utrinque instaurandæ, qui has inter alias concordiæ proposuerunt conditiones, scilicet ut Dux se titulo & officio Gubernatoris abdicaret; Regnum integrum cum ablatis resignaret, & armis depositis, in suum reversus Ducatum, publica Regni Comitia & judicia pacificus expectaret. Sed responsum distulit in diem sequentem, & interea Veiero adventanti occursurus, sub vesperam frustrà educit exercitum; Nam hostis de adventu Ducis præmonitus, insidias declinavit, & per devia sylvarum properans, paulò tardius ad Regem pertingit. Lincopiam verò Princeps reversus postridie, Legatos expedit, minus bene responso contentos.

Quocirca etiam Rex patrui tabellarios hactenus retentos, XXIV. Augusti, cum nec satis benevolo remisit ad Dominum responso; Quippe cum Dux in suis asseruisset literis, quod ut gratus sibi esset Regis adventus, ita ingratum fuisse, quod tanto comitatus exercitu in patriam rediisset. Respondet ille patrui nullis hactenus signis demonstrasse, quod gratus sibi regius esset adventus; Sed potius contrarium evidenter probasse: Quandoquidem secus quam promisisset, classem illius Majestatis violenter detineret; Regni militem ad sua pertraheret castra; plebeculam simul cogeret; panis oberraret provincias vexillis; incolas exhaustiret, & interim Regii pro suis emerent commeatum pecuniis, nullique molestiam hac in re inferrent, quos securitatis ergo huc secum adduxisset, cum ex Sueciâ nullus sibi mitteretur comitatus, & hinc ablegandos, quamprimum Regni militem esset asseditus; Ideoque patrui serio velle admonitum, ut hujusmodi supersederet factionibus & actionibus, ni faceret, si aliqua sanguinis propterea contigeret

profusio, ille coram Deo rationem solus redderet. Denique quod vinclitos teneret ministros Ducas, Calmarniæ nullo jure præpositos, nihil mirum, siquidem isti essent violenter intrusi, & Regii præter fas extrusi, inque carceres præterea detrusi, multò squalidores quam illi haberent.

Non multò etiam prius fuit Tycho Laurentius ad Principem Carolum cum similibus ferme literis remissus, postquam ultra mensis spaciū esset detentus, indeque gravior animorum utrinque secuta exacerbatio horrendum illud pepererat infortunium, quod in Epilogo hujus tragœdiæ postea commemorabimus. Sed neque comedias habuit Samuel Laschius Stocholmiæ hacenus actiones; Etenim post suum eō adventum Regia executurus mandata, Castellanos permutat, & Carolus Carlsonius, in arresto detentus, nauticā veste sumptā, ex illo profugit. Mox etiam Legato & novis Castellanis suam deferunt operam in promulgandis per Sueciam Regiis edictis, D. Ericus Abrahamius, D. Christiernus Clausonius, M. Abrahamus Regni Archiepiscopus, Erlandus Beronius & Jacobus Nefvius, hique duo ad Montanos & Dalecarlos expediti, minus benignè suscipiuntur. Nam Dalecarli non credentes Regem vivere, adfirmant se Duci Carolo præstituros obedientiam, velut unico Gustavi filio superstiti, donec ipsimet Regem Sigismundum viderent. Cumque propterea præfati nuncii in Principem & sectatores liberius invehementur, Dalecarli utrumque in squalidos detrusum carceres, multis afficiunt contumeliis, & denique Nefvium inde productum innumeris trajiciunt sagittis, interficiuntque. Sed Erlando parcunt, quod fingeret se quædam magni momenti habere secreta Principi Carolo manifestanda, ipsumque eapropter cum triumpho ad castra ejus Celsitudinis perducunt, ubi tamen vitâ donatur. Fortunacius autem prioribus edictorum præconibus successit negotium.

Præcipuum modò restabat, quod Legatus in mandatis à Rege habuit, nimirum, ut Finnones revocaret, Duçem à tergo invasuros, & classem Regni, quæ illos unica demorabatur, ad partes Regiæ Majestatis pertraheret. Itaque primo istud expediturus, Regias transmittit literas ad præsidem ipsius Joachimum Schelium natione Pomeranum, per Olaum Olavium à Gotnewy, & Petrum Magnum, Regis Secretarium; quibus & suas adjunxit Archiepiscopus. Et nihilominus tabelliones repulsam passi, ad Principem captivi deferuntur. Spe igitur suâ Laschius & collegæ frustrati hoc modo, & tamen adhuc non desperantes, alium excogitant; Quippè Wilhelnum à Wych juniorem, ex Capitaneis unum classiariis naucti Stocholmiæ, ipsi persuaserunt, ut reversus ad classem, permoveret commilitones ad defectionem à Carolo Principe. Nec imprudenter dolum in ea molitur, licet juvenis admodum esset, proditus tamen, ex præscripto legum castrorum, globis infelix trajicitur. Cujus mortem Dux nihilominus ipsemet ægrè audit, quod adolescens esset tantâ corporis elegantiâ præditus, ut nè Paridi quidem Trojano multum cederet.

Porrò hujusmodi formidans Regionum molitiones Gubernator, atque ut Regem terrâ marique oppugnatum ad tolerabiliores pacis conditiones permoveret, classis operam absentis in Ostrogothia desiderans, crebris illam literis & nunciis frustrâ advocat, quod adversus obluctatur ipfi ventus. Ad quam inter alios fuit transmissus à Principe quidam Petrus Kahun, illius Celsitudinis cubicularius, homo levissimus & inconstantissimus, isteque propterea non difficulter ab adversariis

riis persuasus, literas Domini prodidit Regiae Majestati. Quae agnitis patrui machinationibus obviatura, melius suis prospicit rebus, & operam ideo Finnorum magnopere desiderans, Ericum Ericium ex Secretariis unum Stegeburgo ablegat illos quantocius advocationem. Vicem interea Finnorum Stockholmenses, & miles à Laschio nuper adductus, suppleturi, ac non modo Regiam defensuri adversum Carolinos, sed etiam Ducatum adhibitis in subsidium equitibus Uplandiae, infestaturi, ut hoc inaudiens Princeps domum festinaret, & Rex ita occasionem sibi suisque rectius prospiciendi obtineret, arma capessunt; Qui tanto apparatu & ornatu instructi lustrantur, ut Legatus diribitorum unus non parum admirans, fidam Stockholmensem erga Regem valde commendaret propensionem. Molitio tamen non processit, quod Finnos indies expectarent.

Interea temporis Rex & Dux literis ultro citroque destinatis, acriter in primis certarunt. Enimvero XXVII. Augusti, Princeps Lincopiae Regiis ante quatriduum Stegeburgi scriptis respondet, se in istam necessitate magis quam voluntate cum suis protrusum esse arenam, cum non contentus exercitu Rex peregrino, etiam Sueicum de quavis Regni provincia vocaret; nec expressè se declararet, quo illa fierent animo? Ac proinde non prius arma se depositurum Dux asseverat, quam obtentâ pro se & sectatoribus sufficienti cautione, Regem intelligeret exarmatum, & generalia Ordinum Comitia esse publicata, in quibus omnis controversia coram Principum Legatis externorum esset examinanda, & judicio terminanda. Quas etiam transactionis conditions Germanicis nuper Commissariis prescripsisset, si Regia iis Majestas assensum preberet debitum, se ipsi obedientiam sine ulla tergiversatione protinus exhibiturum. Sin autem recusaret, se, fidelitatis juramento posthabito, defensurum, non magni aestimando ejus Majestatis Polonus, Scotos & Germanos; Imo cum maxima horum pars nec dum advenisset Stegeburgum, commodam sibi modò occasionem esse datam periculis occurrendi, si magis Regi obesse, quam prodesse cuperet; Se tamen oppidò flagitare categoricum, sine morâ, responsum, quid sibi expectandum esset.

Eodem præterea die missis aliquot Ostrogothiæ ad Regem agricolis primariis, invitat Regiam Majestatem ad colloquendum loco secum aliquo Princeps oportuno, datis & acceptis utrinque obsidibus. Usus etiam fuit Dux hoc in negotio deinceps non raro, quorundam opera concionatorum Evangelicorum, & civium enixè flagitantium, ut citra sanguinis profusionem Rex in gratiam secum rediret. Cæterum XXVIII. Augusti die, Commissarii Germanici, illius Majestati postulata Ducis exponentes, memorant ipsum à transactione non alienum, dummodò prius securitatis acciperet cautionem; Rex suum dimitteret exercitum, & comitia indicaret, in quibus judicium sententiâ externorum neutralium, tota decideretur controversia. Postridie autem Principi significant Regiam se non adhuc resolutionem obtinuisse. Quam ille non diutius Lincopiae ratus expectandam, quod probè intelligeret, ipsam propterea à Rege prorogari, ut collecto Stegeburgi milite per mare disperso, & cognito Finnorum reditu, verbera potius quam verba daret meliora, proprius accedere statuit. Ideoque protinus cum exercitu Lincopiae plurimum adacto, ad planiciem quandam sub Sudercopiâ, non plus quam sesqui distantem milliari à Stegeburgo, Mem vulgo appellatam, festinat, ubi loco admodum ameno fuit castra metatus.

Ibi autem longè major hominum multitudo armatorum ad ipsum confluxit, indeque non parum confortatus & magis animatus, quod classem in reditu constitutam brevi affuturam speraret, Regiam modicè formidavit potentiam. Aliam tamen & quidem valde speciosam, propinquiori suo prætendens causam accessui, XXX. Augusti ex castris perscribit Memianis ad Regem, se propterea cum exercitu Regni proprius accessisse, ut quandoquidem ipsius Majestas non rarò admonita de alienigenis quos secum haberet, dimittendis, identidem respondisset, non prius quam indigenas consequeretur, se modò cum his appropinquare, illâ quidem intentione, ut externis hinc ablegatis, interni secum (prius tamen acceptâ cautione quod nihil sibi vél sectatoribus, & præsertim Comiti Axelio, mali esset inferendum, sed omnis controversia legitimo judicio decidenda) reverenter & obsequenter illius convenienter Majestatem, jussaque ficerent. Cæterum quod Rex non prius militem & classem Regni esset consecutus, in causa esse Finnones, quorum formidans indies ejus Celsitudo minacem adventum, non auderet ex Regno mittere classem; Imò cum Regem Calmarniæ vellet secum terrestris & maritimus accedere, obsequi gratiâ exercitus, Fennonum tunc in armis advenientium impedivisse repulsionem. Extremò amanter orat, nè infido diutius fideret Senatui, quod ità totius machinaretur prosapiæ interitum Gustavianæ.

Nec feriatum hactenus à Regiis Stocholmiæ, utpotè quorum instinctu Upplandi, Ecclesiastici simul & Politici, mensis initio Septembris congregati, suos ad Regiam Majestatem Oratores expedient, per quos, literasque significant, nihil sibi accidere potuisse jucundius, quam quod Regem superstitem in Regno præsentem & incolumem intellexerint, cum nimis contraria secus fama divulgasset aliquandiu; Quinimò ut luctucentius cognosceret famæ mendacia his in rebus, quosdam de suo viros numero fide non indignos ad Regiam Majestatem expeditivisse. Postea minus sibi gratum fatentur, non missam Regi classem, quodque pro dignitate non esset exceptus, obsecrantes tamen ut de his aliisque rebus controversis non respueret amicam cum patruo transactionem, & sanctè spondentes, se promissam illius Majestati fidelitatem, ad aras & porrò servaturos. Atqui Dux altum Regis silentium habens suspectum, & subverens nè pelagus repeteret ante litis transactionem, III. Septembris denuò ipsum compellat super tabulis ut vocant, assecurationis, saepius frustrâ postulatis, sibi & suis citra ulteriore communicandis moram, alias se alia securitatis media circumspecturum. Nihilominus tamen se illum velle admonitum, nè foras extra castrum, velut nuper fecisset, ullatenus prodiret, vel Oceanum repeteret, quod periculo ista non carent, idque si non obtemperanti contigeret, sibimet culpam imputaret, non patruo tempestivè præmonenti.

Itaque has nactus rupit Rex Sigismundus silentium, & eodem die se in primis resolvit Commissariis, per ipsos Principem adhortans, nè tanto Regiam Provinciam exercitu diutius oneraret; Regnum sibi integrum, cum arcibus, urbibus, navibus, machinis bellicis, milite & proventibus, restitueret universis; Titulum Gubernatoris, in præjudicium Majestatis suæ præsentis, non usurparet; In suum reversus Ducatum factionibus supersederet; Captivos libertati restitueret; Nec deinceps sibi, vel suis timeret, & tunc primum externas dimissum iri copias sciret. Quas etiam conditiones Rex ipse met literis complexus, ad patruum expedivit, simul asseverans falsum esse quod Finnones invadere

Ducatum haberent in animo, qui solum venissent dominum suum legitimum deducturi, cui Regia denegaretur classem. Sicut etiam monens, nè toties urgeret, ut peregrinus dimitteretur exercitus, qui regiis vivens pecuniis, Regnum non exauriret; Sed quem haberet patruus multò grandiorem, ipsum exautoraret, quod maximo esset plebeculae gravamini. Tandem quoad comitiorum publicationem, quam in suis quoque Dux scriptis ad naueam hactenus inculcasset, se illam suo arbitrio reservasse, ac ejus modo ætatis esse, ut quid esset agendum vel intermittentum, ipsemet posset statuere.

Cum his ad Principem Commissarii profecti, fidelem impendunt operam transactioni controversiarum, & ultro citroque commeantes, nunc Regem nunc Ducem compellant, & per sequens quatriduum pacis media multifariè, frustrà tamen, limitantes, VII. die Septembris Duci significant resolutionem à Regia Majestate prorogatam esse. Quapropter ille indignatus, inter VIII. & IX. Septembris scribit ad Regem, suadens ut intra binas se resolveret horas; literis & obsidibus securitati caveret suæ Celsitudinis ac sectatorum; Alioquin si quid pateretur detrimenti, expensum sibi referret, non patruo salubriora præmonenti. Hujus autem resolutionis gratia impetranda, non belli movendi, nisi vim vi repellere compelleretur, se Regis ad castra modò accedere, demum protestatur. Cum literis verò bini præmittuntur æneatores, quos evestigio Dux cum exercitu subsecutus, circa diluculum Stegeburgo appropinquat. Nec segnes ad arma Regios offendit corripienda, & in primis Johannes Veierus, cum suis cohortibus capto viarum circuitu, adversarios prætergressus, & à tergo aggressus, quò insperator, eo fuit nostris perniciosior. Interim Rex ipsemet cum reliquo quem Farensbachius ducebat exercitu, Suecos à fronte fuit adortus; Quorum tamen nimis occumbentium & pacem obsecrantium, misertus, proclamat suos esse qui ex utraque caderent parte, & propterea canere juber receptui. Nec libenter sectatores obtemperant, quod victoriam in manibus se gloriarentur habere. Sed Farensbachius potissimum reluctatus, caput uni Sueonum in conflictu amputatum, in mucrone præsentat illius Majestati, flagitatque ut victoriam cœlitus sibi hodie concessam, prosequeretur. Cui responsum, quod non propterea Sueonum omnes cedisset, Regio pareret edicto.

Huc porrò clementiæ Rex Sigismundus, tam propriâ inclinatione, quam fidâ intercessione, præsertim Edvardi Fortunati, Marchionis Badensis, Johannis ex Frisia Comitis, amitinorum, & Georgii Posse, Consiliarii Suetici, permotus fuit, iisdemque præterea sequestribus inter Regem & Ducem concluditur, ut hic ad sua reverteretur castra, & die crastina cum ipso penitus transigeretur. Qui proinde suum hilaris reduxit exercitum, nec propter tantillam cladem animum censuit despondendum. Ista est vera de conflictu Stegeburgensi narratio, & minus sincera quam Jacobus adfert Typotius de illo & simul Nicolao Ranschio, quem profectò insontem, ob privatum quoddam odium, in sua impudenter historia calumniatur; Quo genere ultiōnis minus honesto, passim in eadem adversus quoslibet, quibus est offensus, utitur. Præfato etiam Regis contra patruum successu, interjectis aliquot diebus Stockholmiam perlato, M. Ericus Schepperus pro concione in Ducem magnoperè fuit debacchatus, quod Suecos ad lanienam duceret, quibus Rex parcere juberet! Quanquam si res ista penitus inspiciatur, non minus clementiæ Regiis deinceps sub Lincopia Princeps exhibuerit, quam ille prius sub Stegeburgo Suecis declarasset. Ac propterea Schep-

Schepperus tempori & vento cuivis se accommodans, ceu peritus nauta clerus, victoriâ hujusmodi Gubernatoris cognitâ & clementiâ in victos illustri, mutat orationem, mirisque extollit moderatum laudibus victorem, ast victum ad ima prius detrusit barathri. Quocirca ipsum non nulli solebant hanc immerito assimulare cuidam monacho Hollandiae fratri Cornelio, nominato; quod is cum vinceret Hispanus, mirifice victorem sermone publico commendaret; Cum verò succumberet, convitiis ipsum oneraret & Belgarum celebraret ductorem.

In eadem cum Schepperero navigarunt cymba M. Nicolaus Bothniensis & M. Jacobus Ericius, Upsalenses Professores, aliique concionatorum non pauci, qui flagrantissimas hujus discordiae rogo faculas sæpius in publicis admovissent sermonibus, prout Dux ipsismet non raro exprobavit. Ad quem reversus depræhendo, quod cum biduum à conflictu transvisisset, & interea pactis Rex non satisfecisset, regredi ad ipsum decreverit, sed nè opprimeretur, ut nuper factum esset, transposito per sinum exercitu, consistit è regione arcis, exiguo disjunctus fluvio ab hostibus. Huc secum adduxit Commissarios Germanicos, in via depræhensos, qui rogatu Principis denuò Regem super æqua compellant transactione, & sub vesperam reversi, illius Majestatem ab ea die craftino inchoanda non alienam, modò interim nihil hostile pars adversa tentaret, significant. Consenit Dux, & nihilominus in hujus scastra Marchio Badensis aliquoties fulminasse dicitur, & Farenbachio mandatum fuisse, ut nocte intermedia invaderet adversarios, & hoc própterea fortassis quod sua interim castra firmarent. Quocirca factis hujusmodi non obstantibus, postridiè videlicet XII. Septembris Rex easdem fermè pacis conditiones, quas ante IX. dies, patruo exhibit per Commissarios, illud solum addens, ut quæ pars se gravatam existimaret, ipsi liceret alteram in jus vocare.

Verum Dux & sectatores istas transactionis leges, perindè ac prius Lincopiae penitus recusarunt, & alias Rege præscribere omnino abnente, Legati rem ad arma spectare liquido prospicientes, partibus XIV. Septembris valedicunt; Quos in Daniam usque curat Princeps securè deducendos. Remansit tamen adhuc Legatus Anglicus vel Scoticus, de quo aliud in actis non invenio castris. Quem nec moratus ideo Dux, quo alii valedixerunt die, cum Rege acrius solito expostulat, & ipsi exprobrat, quod minus æquas præscriberet transactioni leges, sequentium periculis objiceret, non considerans de nucibus, seu pyris vel pomis non ludi, sed throno Sueciæ. Verum tamen ut tandem actio citra discrimen concluderetur, se paratum cum illius Majestate per viros agere internos, non externos amplius; Ideoque pro iisdem flagitare publicam fidem. Quam protinus Rex pro VIII. concessit personis, & simul exaggerans proximas Ducis literas, afferit se indies experiri, quod sibi magnoperè consultum sit, structas à patruo cavere insidias, sicut etiam quod de Regno Sueciæ, non pomis, secum colluderet; Licet antea sibi nunquam persuadere potuisset, aliquem tantæ in suo Regno audaciæ ac contumaciæ inventum iri, qui ea cogitare & multò minus attentare ullatenus præsumeret.

Non his proindè Carolus Dux publicæ fidei contentus literis, alias flagitat, & postridiè impetrat, quibus sisus mittit XV. Septembris ad Regiam Majestatem suos Consiliarios, Comitem Mauritium, Ludbertum Caverum & Johannem Ericum; Qui privatam ex voluntate sui Domini audientiam naëti, deferunt Regiæ Majestati nomine Principis & Ordinum

ipſi adhærentium, omne obſequium, dummodo prius obtinerent cautionem justitiae conformem. Deinde ſolitarium flagitant Duci cum Regia Majestate colloquium, in quo illius Celfitudo ita ſe & ſectatores eſſet excuſatura, ut Rex omnino contentus eſſet futurus; Sin vero illud non obtineret Dux, quidquid inde mali ſequeretur, diſuſoribus expenſum referret. Verum de his nihil concludi potuit, & propterea ſequenti die, qui fuit XVI. Septembris Rex poſtulat, ut ex utraque parte XVIII. viri prudentes & concordiae justitiae amantes, amice congreſſi, invocato Dei auxilio, litem conarentur tranſigere. Ac licet Dux conſentiret petitioni, tamen quadam ex cauſa, Rex iterum patruo indignatus, miſſo ad illum Nicolao Raschio, cum aliis duobus, magnopere quæritur Ducem verbis facta minus accommodare, & ſuam monere officii Majestatem, cum ipfemēt indigeret admōnitore potius, & correctore; Siquidem regios ſubditos ſub ſua cogereſ signa contra legitimum dominum; Iſtum aleret exercitum ex Regni proventibus; Novas præterea contributiones imponeret; Regiis caſtris pro pecunia commeatum adferri prohiberet; Imò ſub porta ejus Majestatis caſtra figeret; Regios caperet ministros, hos bonis & alioſ Regi fideles ſpoliareb; Titulum adhuc ſibi arrogaret Gubernatoris, quod in Regno præſente Rege nemo antea præſumpſiſſe legitur. Quamobrem obſer-  
rat, ut iſta Princeps corrigeret, & aliena ſibi non attribueret, ſed reſtitueret, hiſque conſummatis, Regio fruiturus minus diſculter colloquio.

Nec fine responſo nuncii redierunt, cum Princeps auctūtum reſcripſerit illius Majestati, protestans ſolenniter quod vir nemo honestus unquam probaturus, ſua facta verbis non convenire, paratum quoque ſe offerens ad respondendum in foro competenti objectionibus ſeu potius criminacionibus, grandi numero contra ſe prolatis. Intereā nihilo minus amicam non respuens transactionem, ubi cognoſceret quos Regia Majestas viros colloquio destinareret, ſe totidem ex ſuis etiam nominaturum, promittit. His autem poſtridiē delectis mandat, ut cum Regiis congregati urgerent inprimis, ut ſiquidem Legati Electorum Imperialium Regno abiviffent, quos una ſubſcribere voluifſet illius Celfitudo cautionis Diplomati; nec propterea papyro & atramento poſſet ſolis confidere, inſuper peteret quod Elſburgum & Vaffenum retine-  
ret, donec in comitiis foret omnis deciſa controverſia. Sin verò hoc non concederetur, ut intereā classem Regni & armamenta eisdem cuſtodienda Griphioſholmiæ, firmioris ergo ſecuritatis, in ſuis Dux ha-  
beret manibus, poſtulent. Si neque hæc, neque illa obtinerent, obſides flagitarent Guſtavum Bānerium, Ericum Sparrium & Thuronem Bielchium. Quod si iſtud quoque negaretur, dicerent ſuum Principem, velut pacis quam litis amantiorem, Regiā contentum fore obligatione illius Majestatis nomine ac ſigillo munita, dummodo in ea Ordinibus Sueciæ libertas con-  
cederetur, parti ſe opponendi quæ' paſtis non ſtaret.

Sed fatis, heu nimium malignis, illud magis ſpectantibus in-  
fortunium, quod poſteā accidit, colloquium non proceſſit. Et moni-  
tus propterea Dux, ut formam conciperet cautionis, quā vellet eſſe  
contentus, ſequentem proponit: Nimirum ut Rex peregrino auctūtum  
diſiſſo exercitu, ſpondereſ comitia mox ſe publicaturum, intra ſeme-  
stre proximum celebranda, in quibus coram Principum Legatis exter-  
norū, tanquam judicib; neutralib; liceret Duci & ſectatorib; con-  
junctim, non diſiſim, respondere. Sique aliquid contra quempiam ad-

versæ partis haberent, procedere. Similiter quod Princeps suo milite sine morâ exautorato, in Ducatum secedens interea securus quiesceret; sua Regi mox restituerentur omnia, ex præscripto sui juramenti & obligationis in coronatione præstitorum, Regnum gubernaturo; Captivi utrinque solverentur, ministri & servitores utriusque quaquaversum liberè mitterentur; Et denique Ordinibus Regni facultas plena concederetur, pacta servant adhærere, & prævaricanti bellum movere. Quam propter clausulam, forma displicuit potissimum cautionis. Tergiversabatur ideo etiam Rex postulatis satisfacere patrui, quod Regiā indignum Majestate persuaderet esse à subditis suis, quales essent Dux & Ordines ipsi adhærentes, ad alias cogi conditiones. Verum Dux arbitrans Regem propterea resolutionem prorogare, ut interea Finnones subsidio advenirent, majori serio rem censuit agendam; Quando & classis Regni amica in fauces delata Stegeburgenses, quantum Regios examinavit, tantum Ducas commilitones recreavit.

Porrò illius adventum ignorans, non modicè tamen formidans Petrus Tilicius Poloniæ Vice-Cancellarius, hoc tempore suam majoris precii supellectilem in navi quadam indè Gedanum versus expedivit. Quam & simul concenderat Petrus Laterna Regis concionator, cum nonnullis Polonis genere nobilibus, qui minus declinaturi periculum, in majus incident. Etenim paucis à castro proiectos milliaribus, classis adveniens hostilis occupat, & classiariorum primarii, Laurentius Anefassonius, Isacus Behm atque Johannes Lutius, cum epibatarum non paucis, in navigium, ventis quodam finu adversis detentum, velut correpti rabie irruentes, in primis advenas, licet supplices vitam deprecarentur, in aquas projiciunt; Enatantes verò quosdam illorum, & navis rudentem appræhendentes, manibus truncatos, fundum petere jubent. Sed in Petrum Laternam, quod Sacerdos esset Jesuitici Ordinis, longè magis desævientes, variis affectum ludibriis & contumeliis, obruendum fluctibus demerserunt, ac enatanti non manus solum præciderunt, ast etiam pugionibus confoderunt. Deindè opibus direptis, pergit cum classe Stegeburgum, & fluitantia passim corpora cæforum agricolæ inventa, in quadam sepeliunt insulâ. Contigit ista Polonorum cædes in fauibus Stegeburgensibus, circa diem XX. Septembris Juliani. Cæterum status controversiæ inter Regem & Duce ad graviora propendebat mala. Nam hic concepta transactionis spe frustratus, totam imputat culpam Regni Consiliariis apud ejus Majestatem constitutis, & non obscure providens à Rege non satisfactum iri suo desiderio, quamdiu Senatus consilia sequeretur. Ideò XIX. Septembris illum serio monet, ut Senatores, ceu malorum omnium consultores, sibi quantocius dederet, pro meritis sine morâ plectendos. Deindè conferret se quo luberet illius Majestas cum reliquo comitatu Stockholmiam, vel alio, securè ab Ordinibus deducenda; Qui etiam super his firmissimam dare cautionem forent parati. Verum si benè monenti non obtemperaret, & mallet se potius cum Senatoribus periculo exponere, quam illos tradere, sibimet, non patruo adscriberet infortunium, quod ipsi propterea contingere posset. Nimios itaque adversario crevisse animos propter classis adventum hinc probè Rex animadvertis, & suis propter eandem vehementer metuens rebus, censuit tempori servendum, & priori cautionis formæ subscribendum. Quocirca XX. Septembris talem patruo misit assecurationis cautionem, quoad omnes conditiones, qualem ante quatriduum flagitasset. Sed ista modo non con-

tentus Princeps, longè aliam postulat, nempè ut Rex in primis suo aetatum milite disperso, non pluribus comitatus secederet Stocholmiam, quam pater suus communiter secum habuisset. Secundò, ut comitia publicaret intra semestre temporis spaciū celebranda, & interim Legatos Principum impetraret Germanicorum in conventu Judicum munus obituros. Tertiò, Senatus Regni ad sua interim prædia divertens, tunc compareret, & adversariorum quarelis responderet. Quartò, non mutaretur præsens tantisper status Regni, sed eodem permanerent omnia, & quilibet officium, quod modò usurparet, retineret; nisi quod militi alienigenæ dimisso, in arcibus quibusdam esset indigena substituendus. Quintò ut neutra pars extra vel intra Regnum alteri strueret perniciem, utque hujusmodi tolleretur suspicio, Rex in majoris momenti negotiis Regni, ejus Celsitudine inconsulta, nihil concluderet. Sextò, neque ulla distribueret feuda suis vasallis, ante finem comitiorum. Septimò, ut Finnes, positis armis, domi remanerent, nemini molestiam facessendo, & in judicio responderent. Octavo, ut naves Lubencium, quæ militem Regis advexissent, arresto subjicerentur; Sicut & reliquorum. Nonò, ut istam concluderet transactionem ea clausulâ, quam prior haberet assecurationis forma, quod scilicet, Ordinibus foret liberum parti non pactorum observanti, rebellare. Hisque à Regia Majestate approbatis & roboratis, vellet Dux suo milite dimisso, quietus in sua provincia conventum expectare.

Hinc sibi persuadens Rex, patrum magis ad bellum propter nova ex mari subsidia propediem affutura, inclinatum, quam ad pacem, cum tales proponeret pacis conditiones, iis contemptis, quas antea postulasset, quales non citra dedecus maximum liceret acceptare. Velut etiam simul considerans, incommodo bellandi loco se constitutum, tacitam indè cum suo exercitu profectionem meditabatur. Nihilominus simulans se non alienum vehementer ab hujusmodi transactionis forma, nè ab hostibus longè posterioribus opprimeretur, expedito ad Principem Jona Axbergio, se crastina die daturum super his resolutionem spopondit. Ità dilationem, & abitu moliendi nactus occasionem, praefidiariis ibi relinquendis has præscribit leges, videlicet, ut fidei suæ Majestati permanerent, & nullatenus Principi Carolo dederent castrū, nisi extremâ compulsi necessitate. Sciscitanti verò causam, quâ motus Rex, tam insperatè discederet, responderent, cum intelligeret Ducem æquis nolle conditionibus secum transfigere, ut humani sanguinis vitaret profusionem, & hosti daret spatium rectius deliberandi, se tantisper secessisse. Deinde circa medium noctis intempestæ, scilicet inter XX. & XXI. Septembbris dies, cum altissimo silentio ac exercitu ad bellum ordinato, Sudercopiam versus procedit; Universa porrò supellectile Stegeburgi partim in arce, partim in navibus relictâ, nemo præter arma quicquam indè secum asportavit.

Post alteram Dux horam de Regis abitu certior factus, ipsum insequitur aliquantulum, & Regios non assecutus, Stegeburgum regreditur, castroque non difficulter potitus dedito, sicut & classe adversariâ, quæ in his ad Regiam spectare Majestatem intelligeret, in catalogos minus tamen fideliter relata & obsignata, suæ mandat omnia custodiæ, præter illud diploma, quo Poloniæ Ordines, se abituriensi Regi Sigismundo nuper ad fidelitatem in absentia obligassent; Nam istud Dux Carolus, velut alicui sibi futurum usui, mox Nycopiam transmisit. Sed quæ ad alios pertinerent bona, pro consuetudine militari, in præ-

dam fermè cuncta cesserunt. His modico tempore peractis, arcem suo firmat præsidio, & classem Regini simul arrestat, eodemque die post Regiam Majestatem festinat. Atque subverens, nè hostis Calmarniam regressus, ibi se firmaret, & aliunde subsidia impetraret, quibusdam mandat, quos interfuit Sueno Magnus, Stochomensis factus postea Castellanus, ut Regem per occulta viarum, seu compendia seu dispensionia prætergressi, pontes ejicerent, & iter passim obstruerent, redditumque illi præcluderent. Verum ipsem Sueno à Regiis interceptus, in cruce fuisse actus, nisi Thuronis Bielchii intercessione illam evasisset. Cujus intuitu periculi, sicut etiam quod eo perfunditus, rem sibi commissam fideliter nihilominus cum sociis expedivisset, Dux ipsum postea inter patritios retulisse fertur.

Interea Rex Lincopiam progressus, senis Stegeburgo milliaribus dissipatam, missa Vastenum cohorte, castri flagitat ditionem à præsidio ibi Principis; Sed regii globis impetiti ferreis, abcedere coguntur. Cæterum Dux dimidio Lincopia millari pedem figens, XXII. Septembris, Regem per Christi obsecrat tormenta, nè se fugeret sibi ad dictissimum, vel diutius se permitteret à pravis seduci consultoribus, ut neque Regno abiret ante transactionem controversiæ; Sique non obtemperans salutaria monenti, damno quopiam afficeretur, vellet ille coram toto esse mundo excusatus. Quod verò ad res pertineret Stegeburgi, ab illius Majestate relictas, fidæ illas custodiæ traditas, ita ut nihil illarum esset Rex amisurus. Quas postridie nactus literas Rex Sigismundus, respondet se mirari tantam patrui hypocrisim, qui ut simplicem seduceret plebeculam, fingeret coram ipsa, sibi legitimam negari assecurationem, & cum petenti talis concederetur, qualem postulasset, aliam flagitaret, & quidem nullo modo parti adversæ tolerabilem; Imò, falso negatæ prætextu cautionis obtainendæ, cædes declinantem armatus insequeretur, & arce capta prius Stegeburgenfi, Regiam sibi vendicaret supellectilem, quæ, sicut & castrum, proprio domino fuissent relinquenda. Demum Rex concludit, ut Dux honesta foret contentus cautione, vel quod luberet, faceret, & sua Majestas se coram Deo, cui & suam commendaret causam, fore excusatam, confidit. Itaque Princeps eam consecutus licentiam, ut quod luberet, faceret, XXIV. Septembris illam per literas exaggerat facultatem, velut temerariam; Ipsa tamen fretus, suæ & suorum se defensioni accingere significat, & propterea scire desiderat, an se vellet Rex in primis juramento fidelitatis absolvere? Etsi potius videret ut discordia sine armis componeretur, nec porrò istud serperet incendum à Confiniis excitatum, utque omni prorsus culpa vacaret, se aliam concordiæ formam his adjunctam transmittere commonet. Conclusum prædictum fuit, ut XII. partis utriusque viri discreti, colloquio juxta pontem habito Stangebrogensem, ex æquo & bono litem dirimerent. Sed eò lis non pervenit, à fatis alio sanè pertracta, & transverse nimis acta.

Nam omissa pacis mentione, arma utrinque expediuntur, & Rex cum suis in campum progressus ex oppido, suam instruit aciem trans fluvium, cumque hostis provocatus non compareret, Johannes Veierus cum suis excurrere jussus, noctu excubias Principis profligat, & hostium nonnullos captivat. Itaque regius exercitus diurnâ nocturnaque fatigatus statione, nec hostem proditurum ratus, tempus circiter auroræ mandato Regis in civitatem revertitur, in spacio pugnæ assignato penditum

ditum aliquot cohortibus ad excubandum & machinis bellicis relictis. De isto autem statu regiorum Dux campanæ fono per Episcopum urbis procurato, admonitus, in diluculo advolat, & nebulæ beneficio non detectus antequam regias invasisset excubias, canit classicum. Quo hostium reliqui serò nimis exciti, turmatim accurrunt. Verum quod pons foret ejectus, transitu prohibiti, quidam fluvium natando tranant, & laborantibus subveniunt sociis; Alii fluctibus obruti, fundum petunt; Nonnulli per molendinum transire conantes, incendio pereunt, ab hostibus excitato; Reliqui cis fluvium latera Regis stipantes, cladem suorum trans aquas invalescentem mæsti spectant; Illorumque Rex misertus, missa caduceatore, pacem flagitat à Patruo, quam eā obtinet conditione, ut protinus victori dederet quinque Regni Consiliarios, velut autores totius dissensionis, quos secum haberet, nempè Gustavum & Stenonem Baner, Ericum Sparre, Thuronem Bielche & Georgium Posse. Quapropter receptui canitur, & Senatus deditur, custodiæque traditur, prodictionis increpitus. Cæsa verò dicuntur in hoc conflictu duo millia regiorum; Ast ex parte Principis, solum XL. homines occubuisse, & CC. graviter vulneratos convaluisse narrantur. Machinas etiam bellicas VII. & vexilla VI. hostibus Dux eripuit, post transactionem tamen illis restituta. Deinde opera datur utrinque mortuis sepeliendis & fauciis curandis, simulque deliberatur de novis concordiæ legibus postridiè sanciendis.

Istam habuit tragœdia Sueo-Polonica, pro tempore catastrophen; Quæ tamen sequenti anno in scenam denuò producta, non paucò fuit deinceps tempore continuata, & quém habitura sit exitum, hominum nulli exploratum. Habuisset porrò Dux Carolus optimam in præfato conflictu occasionem, extremum prorsus imponendi finem huic tam diuturno bello, & Regem Sigismundum cum sectatoribus prosterendi, si non majorem sanguinis, quam regiminis Suecici obtainendi, habuisset rationem. Undè apud quoslibet candidiores hujus controversiæ censores, affectati diadematis Suetici suspicione, quâ haec tenus nimium laborasset, liberatur, & meritò existimatur, non minus Sigismundo clementiæ sub Lincopia exhibuisse, quam ille sub Stegeburgo prius fuisset expertus.

Cæterum ostento, quod anno superiori visum fuerat loco pugnæ, prorsus eodem tempore recurrente, verus respondit eventus. Sed nec dum impleta est quædam prophetia, quæ in Gothia circumfertur, sanctæ Birgittæ adscripta, vaticinantis, Regnum à peregrino impugnatum iri militi, qui calceos & jubes haberet equinis similes, & cum illo propè Vastenum tantopere belligerandum, ut hastilia cañorum in sanguine essent eorundum natura; Plurimi tamen, sine dubio, formidarunt, nè memorato in Gothia flagrante tumultu illa adimpleretur. Cui non absimile est vaticinium fratri Stephani ex Cœnobio Arosiensium monachi, qui tantam in prato Arosensi hominum quoque stragem prædixerat illo tempore edendam, quandò pinus, cuius prima tum semina essent jacta, per facelli tectum, in quo concionabatur, excrevisset, & candida pica nidum in ea habuisset. Ac pinum quidem exhibit visendam idem hodie facellum, quod sub Arosia, collapsum vetustate prope modum, cernitur, talis etiam picæ nidificatio ibi visa dicitur. Convenit verò cum utraque prophetia illud magnoperè somnium quod anno MDXCIV. habitum, supra commemoravimus. Sed misericors Deus mala hujusmodi quælibet à Regno sat alias afflito, dignetur avertere; Idque dubio procul facturus, si vitam nostram emendaverimus, & ita virgam cum ipso apprehenderimus, ut non in-

qui-

quinatis manibus nostris , seu potius conscientiis , offensus magis , nos pro meritis graviter castiget.

Cæterum me revocat transactio Lincensis , cuius Princeps initium facturus XXVI. Septembris Regem erat per literas , ut cum forma non placeret concordiae , quam sua Celsitudo proposuisset , aliam non gravaretur Majestas Regia exhibere ponderandam , nempè quo vellet pacto asseturari & asseturare. Verum placuit tandem utrique , ut viri partium discretiores & prudentiores , collatis de illa capitibus , consiliisque , aliquam prius concluderent. Qui proinde nominati publicâ muniuntur fide , & XXVIII. Septembris ita colloquuntur , ut sequens fuerit transactionis instrumentum compilatum , & à Rege Du- „ ceque approbatum ac sigillis roboratum : Inprimis quidem Princeps & „ sectatores , renovato fidelitatis juramento , novâ se obstringunt obliga- „ tione Majestati Regiae , ad omnem obedientiam , amorem & reverenti- „ am ; Quibus vicissim Rex Sigismundus , omnem condonat offensam , ita „ ut nec per se vel alios , intra vel extra Regnum , ea foret vindicaturus , „ quæ nupero tumultu sibi accidissent. Deinde spondet se Regnum ex „ præscripto sui juramenti , obligationis & legum Sueticarum , omnino gu- „ bernaturum , intraque spaciū temporis quadrimestre , comitia celebra- „ turum , in quibus coram Cæsareis , Regiis & Eleitorialibus Commissa- „ riis , interea procurandis ab utraque parte , omnes discuterentur actio- „ nes , quas vel illius Majestas , vel Dux Carolus , contra indigenarum „ haberent aliquem , aut ipsimet Sueci , Gothi , Finnones ac Estones , inter „ se , ac quicquid esset legitimè examinatum & judicatum , vellet Rex pro- „ pugnare atque executioni mandare. Nullam tamen Rex vel Dux , sibi „ moverent actionem , cum omnis inter ipsos controversia esset perpetua „ mancipata silentio. Coram præfato sisterentur tribunal Senatores capti- „ vi , quos in sua Princeps retenturus foret custodia tantisper ; necessa- „ ria pro dignitate illis provisurus , & nihil omnino nociturus. Exerci- „ tum uterque suum exautoraret , & Rex solâ contentus cohorte palatinâ , „ militem Calmariæ & Stocholmiæ relictum peregrinum ex Regno mox „ alegaret. Quibus arces & officia Regni , Dux in absentia Regis credi- „ disset , in iis permanerent usque comitia ; Legitimam tamen ipsius Ma- „ jestati obedientiam , velut domino supremo , interim exhibituri ; & Dux „ ipsem etiam quoniam Regis Stockholmiam perveniret , quod recta hinc pro- „ fectus , illius Majestati arces Regni quaslibet , classem , armamenta , & to- „ tum Sueciæ Gothiæque dominium resignaturus esset ; Ita tamen quod „ istis nec in patriæ nec patrui foret perniciem Rex abusurus. Servitores „ utriusque in negotiis dominorum honestis liberè per Regnum & Duca- „ tum proficerentur , & Rex literis actutum publicatis , cessationem ab „ armis ubique mandaret ; hanc transactionem denunciaret , & Ducem ex- „ cusaret purgaretque calumniis , quibus esset passim oneratus. Demum „ concluditur , quod Ordinibus liceret illi , videlicet Regi , aut Duci se op- „ ponere , qui aliquam hujus transactionis particulam , non foret executus.

Postero die , qui fuit Divo Michaëli archangelo sacer , cum Rege Dux amicè admodum collocutus , quidquid ad ipsius spectans Mejestantem Stegeburgi aut Lincopiam intercepisset , nempè supellecilem , naves , machinas bellicas & vexilla resignaret , simulque assignaret illi XVIII. ex classe Regni navigia , quibus veheretur Stockholmiam , & peregrinus ex Regno miles transmitteretur. Dux finito autem colloquio illius Majestati valedicit , & Lincopiam secedit mox Konungsbrogiā , hincque Oerébrogiā discedit , conjugem invisurus , quæ illic tumultus delituit cum libe- ris ,

ris, tempore; Sed Nykopiam missi Senatores captivi, separatis traduntur custodiis. Cæterum pactis Rex conventis satisfacturus, expedito cum literis Stockholmiam quodam Magno Elao, mandat Finnōibus, qui ex priori mandato Regis nuper illic appulissent, reversionem. Nam vocati per Ericum Ericum, Majestati ejus in subsidium, magnifico sane apparatu & ornatu, paucis ante Magni adventum diebus, illuc advenientes, decreverant per Melerum invadere Ducatum; Siquidem excubantes propè Telgam Sudermannii, hostibus illac transitum prohiberent. Verum pridiè irruptionis dictus adveniens nuncius, excursionem impedivit, & simul infortunatum Regis sub Lincopia successum primus ibi divulgans, Finnes & Stocholmenses aliosque Regiorum ingenti complevit mœrore. Ericus porro Schepperus, se tempori accommodans, consenso postridiè suggerito, victum cœpit Regem tantopere modo vituperare, quantoperè paulo ante, eundem collaudasset; Non tamen pristinam Ducis gratiam recuperavit, utpote hominem pluma leviorem execrantis. Finnes autem Regi nihilominus adhærentes, & ipsius mandato parentes, domum se conferunt.

Interim Rex de captis sollicitus Consiliarii, XXX. Septembbris patruum suum obsecrat literis, ne fineret ipsos vel uxores illorum, verbis minus honestis compellari, atque ut datis sponsoribus ad sua remitterent domicilia, vel coniunctim non separatim, in custodia ejus Celsitudinis detinerentur. Deinde flagitat promissum à Duce commeatum, ex Ducatu pecuniis solvendum, ceu necessarium militi per mare transmittendum. Eodem Princeps die rescribens, commeatum primo quoque tempore Stegeburgi affuturum promittit; Sed captivos Senatores ad propria remittere, nec sibi, neque illis consultum esse, cum foret periculum, ne à furente trucidarentur plebecula, quod nuper illis contigisset, nisi cum difficultate manus insipientium, à suis adjuti excubitoribus, evasissent; Imò sine Ordinum consensu, non sibi licitum esse, tali eos libertate donare, orans denique Regem ne fidos appellaret ipsos suos Consiliarios, qui nefariè & multifariè hactenus illius Majestatis ac totius familiae interitum Regiae forent machinati, eoque disserunt die, si tam fida præstisset obsequia Duci sicut Regi, alia longè præmia sè consecutos fuisse. Hoc autem non accepto responso, Rex nova conturbatus sollicitudine, quod intellexisset, obligationis Diplomia sibi datum à Polonis inde abituro, esse per Ducis sectatores ablatum Calendis Octobris, ad Principem allegavit Casparum Tisenhusen, dictos codicillos & alia repetitum direpta. Quando etiam non minus anxius, de reliquiis sanctorum Birgittæ, Catharinæ & Ingridis apud Vastenenses investigandis, quas Evangelici ante quadriennium ex loculis & thecis sublatas, abscondissent, Vastehum expedit Johannem Tidechindium Secretarium; Qui negotium magno exequens zelo, quod Catholicæ foret religionis, Vastenenses bonis & malis permovere studet verbis, ad prodendum ac restituendum scheleta Divarum; Nihil tamen efficiens, vacuos fermè Sanctorum loculos argenteos solum obtinet, quibus cum missus est Calmarniam Laurentius Ralambius, indè per Regem postea Varsaviam deportatis.

Interim III. Octobris, Regem Lincopiâ discedentem, exercitus plus quam V. millibus hominum constans residuus, quod inimicos formidaret reconciliatos, instructa deducit acie & pansi late volitantibus vexillis, in medio agminum honorifice collocatum. Sed postridiè Dux proximas Regis literas nactus, mox rescribens, afferit, sub pena capitis amit-

## CHRONOLOGIA SCANDIANÆ

74

tendi, se Capitaneis mandasse, ablatorum restitutionem omnium, præter obligationem Polonicam, quæ Nykopiam esset transmissa pridem, illius tamen Majestati restituenda, quamprimum veniret & conveniret Dux Regem Stocholmiae. Cæterum interea se rogare, nè sineret Lascium alienigenam, ut neque Claudium Bielchium indigenam, consulesvè aut syndicum oppidi Bilefeltium, Stocholmiae diutius habere dominium, quod hi non modicam præbuissent quoque causam tumultui super sedato, & multis suam Celsitudinem contumeliis affecissent; Ac illi velut peregrino haud competenter ullum ibi regimen. Prætereà obsecrat, ut factiosos compesceret equites Uplandicos; Exterum dimittet militem quem haberet secum, sicut etiam Stocholmiae & Calmarniae; Captivos liberaret detentos Calmarniae; Non fideret ardelionibus novam discordiæ fementem facere conantibus; Sparsis per Regnum literis, insontem vindicaret patrum à calumniis; Et demum tempestivè significaret, quos Principum externorum, sibi arbitros deligere constitueret, nè alias iidem ab utraque fortassis parte assumerentur.

Quo die Rex Sudercopiæ constitutus, indè alegat Nicolaum Rascium sibi à secretis, cui mandat, ut præmissa salutatione officiosa, nomine suæ Majestatis tertium reposceret obligationem Polonorum, nulli præterquam sibi utilem; Deinde ut supellex culinæ Regiæ; Aulea ex conclavi Marchionis Badensis, & quæcunque ex navigio prætorio Aquila dicto, essent sublata, simulque codices musicorum Regiorum non pauci restituerentur, flagitaret; Denique ut plures impetraret à Principe naves, cum assignatæ non sufficerent tanti exercitus transvectioni, simul Ducem hortaturus, ut sui tandem supersederent direptione Regiorum, & captivos Senatores, aliosque nullius adhuc criminis convictos, acceptis fidejussoribus, ad comitia usque frui libertate permitteret. Aliis porrò literis per eundem missis, exaggerat cædem Polonorum quos in fauibus non ita pridem Stegeburgenibus classiarii Ducis, belluinâ plus quam sævitâ trucidassent inermes ac supplices, obsecrans ut tantam plecteret tyrannidem, & Petro Tilicio Poloniæ Vice-Cancellario, simul ablata, restitui juberet. Post quatriduum verò Dux Oerebrogiæ respondit, promittens obligationem Nykopiam illius Majestati propediem certò certius adferendam; Nec diu etiam ablatorum restitutionem prorogatum iri, postquam obtineret illorum catalogos; plectendos quoque citra misericordiam, si quos suorum post Lincopensem transactionem, præ datum Regios intelligeret. Cæterum Senatus captivi liberationem, nullatenus concedendam existimat, & mirum sibi admodum videri quod tantoperé faveret illis hominibus, qui annis non paucis, Regiæ interitum familiæ essent machinati! Verum an naves concesserit Dux petitas, & qualiter actioni ob cædem Polonorum propositæ, responderit, non invenio.

Schedulâ porrò literis impositâ, petitionem Dux renovat priorem de Finnonibus remittendis; Equitibus Uplandiæ compescendis; Comitiis publicandis; Legatis exterorum Principum impetrandis, & promissâ sui faciendâ toto Regno excusatione, tanquam immerito calumniis impetiti. Denique propter minus idoneum anni tempus navigationi, ipsius consultius esse Majestati ut terrestri potius itinere Stocholmiam discederet, admonet Princeps; Atque si consilium placeret, in Ducatu pro dignitate suscipiendum Regem, & deducendum promittit. Verum Rex insidias subveritus, nec terra nec mari Stocholmiam modò adire, sed in Poloniam redire, ut anno sequenti cum majori longè potentia in Sueciam regressus, de adversariis sumeret vindictam,

Etiam, in animo conclusum habuit. In primis vero Calmarniam revisurus, navesque Stegeburgi cum suo ingressus milite, in portu mandat Baresundensi naucleris, Calmarniam non Stockholmiam, dirigere proras; Quo maris spacio, tanta fuit jactatus tempestate, ut cum prætoria nave, reliqua per Oceanum classe nimium dispersa, ipsem XVI. Octobris die, portum difficulter Calmarnensem obtineret. Quò tamen & cætera, subsidentibus non nihil ventis, post temporis paululum navigia sine damno penetrarunt.

Postridie autem illuc sui adventus, datis ad Patruum literis, prætendit contra intentionem, se Calmarniam, à ventis navigationi Stockholmiam nimium adversantibus, esse depulsum, navemque quā soror Anna veheretur, cum tota classe reliqua, in mari adhuc oberrare. Ideoque se non audens Oceano amplius confidere, terrâ decrevisse Stockholmiam se prima occasione conferre. Qua idcirco usus videtur simulatione Rex Sigismundus, nè patruus fraude alias intellecta, poneret obstaculum redeunti, vel brumæ sævitiae aut ventorum malitiâ ibi præter voluntatem detento, insidias propterea moliretur. Itaque amissis navibus recuperatis, & rebus Calmariæ quantocius ordinatis, ventos natūrā faventes, indè Gedanum versus navigat, secumque deportat captivos Dicis ministros. Sed interim Princeps Carolus cognitâ Regis Calmarniam profectione, nec tamen adhuc Regias super ea literas consecutus, XXIV. Octobris cum illius Majestate per Epistolam doli hujus nomine insperati graviter expostulat; Etenim aliud Lincopiæ promissum, quam Regno in tantis turbis relicto, & quidem sine omnis gubernationis formâ, in Poloniam redeundum esse asseverat. Atque si alicujus momenti causæ redditum omnino flagitarent, ipsas cum Regni Ordinibus esse communicandas, & ab his ponderandas, qui æquis moti causis, aliquandiu redire concederent. Quocirca cum aliter susceptus modo redditus, patriæ modicum boni videretur portendere, cupit scire quid imposterum Suecis ab ejus Majestate sit expectandum? Porro ante hujus adventum tabellarii Rex Calmariâ solvens, gravioribus quam prius jaçtatur tempestatibus, & quassato nimis laxatoque navigio in littus Casubiae demum ejectus, cum paucis, mutato habitu, comitibus, inde pergit incognitus ad Cœnobium Olivense. Interim vero classis fermè reliqua, in portum delata Gedanensem, & Rex indagatus, invenitur, Dantiscumque XXX. Octobris perducitur.

Ubi XV. diebus moratus, vires colligit, & viros Calmarniam expediundos, quò in aliquot navibus prænobilem Strategum, Uladislavum Bechium, natione Ungarum, cum CD. fortissimis ablegavit pugnatoribus, quorum Johannes Sparrius, & dictus Bechius, reliquorumque ibidem prius deputatorum, essent præsides futuri; Eoque freti præsidio, Calmarniam Principi Carolo non dedituri, sed acriter defensuri usque adventum Regiæ Majestatis, & primo vere sufficien-tem Dantisco sicut & aliundè accepturi commeatum. Cum suis autem Uladislaus, feliciter Oceanum emensus, cum gaudio suscipitur Calmariæ, & Rex Gedani adhuc remanens, mercatores conductit ibi, alibi-que, commeatum condicte tempore, Calmarnensi præsidio apportaturis. Cæterum rebus Dantisci absolutis, indè Marienburgum secessit, & hinc in Poloniam discessit. Atque mox literis & nunciis quaquaversum emissis, suum in patria successum variis Europæ insinuat Principibus; Rebellionis patrum accusat & proditionis; Se pactis Lincopensibus, velut coactis & propterea minus æquis nullatenus adhæsurum affirmat,

tantumque à subditis despectum rebellibus irrogatum, se vindicaturum, & armis denuò Suecos ad obedientiam compulsorum memorat. Quocirca per Lindormium cum Estonibus & Fennonibus agit, ut sibi fideles permanerent; Carolo non consentirent; nec illi se subderent, vel arces aut urbes dederent, regio in necessitate non destituendi subsidio.

Quibus illi non difficuler persuasi, deposita corripiunt arma, quæ cum interitu suorum maximo abjecere deinceps coguntur, promissas à Rege non consecuti suppetias, prout anno dicendum est sequenti. Verum præsenti exēunte, sectatores Regis in Suecia, Gothiaque, postquam Regius ipsis abitus innotuisset, suum quoque infortunium deplorant, & frustrà Regis opem implorant, contra potentiam adversariorum ubique invalescentem. Ideoque plurimi relictis uxoribus, liberis & bonis fermè omnibus, ex quavis Regni provincia certatim profugiunt, quidam in Finlandiam vel Norvegiam, alii in Daniam, nonnulli in Germaniam, reliqui in Prussiam & Poloniā recta festinant. Quò & cæteri posteā omnes profugi Sueonum pergunt, quibus clementer Rex suscepit, liberale assignavit in singulos menses stipendium, quo deinceps annis XXXIII. fruebantur; interea suam cum Rege frustrà expectantes restitutionem. Cæterum Stocholmenses cognita Regis fuga, potissimum indoluerunt, horumque non pauci, tam Regii servitores, quam mercatores, isto, & annis proximè sequentibus, solum verterunt. Multi se adjunxerunt Samueli Laschio Regis Legato, qui sub brumæ initium, cum plerisque alienigenarum Stocholmiae constitutorum, expedito Regem navigio insequebatur. Aliibi tamen in Regno passim exterorum plures remanserant, cum Edvardo Fortunato Badensium Marchione, qui Regiæ non conscius fugæ, apud Principem degebat avunculum.

Hic porrò, abicū Regis intelligens, avem manibus emissam serò ingemuit, teste Jacobo Typotio, & Novembri mense, profectus Stocholmiam, inventos ibi servitores & fautores Regis, in vincula plerosque conjicit, quos inter fuit Claudius Bielche ibi Castellanus; M. Abrahamus Regni Archiepiscopus; M. Ericus Schepperus Stocholmiae parochus, qui perfidiæ accusatus à Principe, respondit sibi ab illo mandatum fuisse; quando Stocholmia ultimo abiret, ut invectivis prorsus abstineret in Regem & Regios consuetis, seque propterea obtemperasse; Sed tamen in aliis convictus, non evadit custodiam. Senatum quoque urbanum deposituit, & novo substituto, cives jubet armatos, & ita ornatos, ut cum lustrarentur à Samuele Laschio, fuissent, in insula convenire S. Spiritus. Sed longè viliori cultu & tristi admodum vultu comparent, ideoque plurimum increpitos domum remisit. Deinde hic & toto passim Regno in alios Regis sectatores, inquiritur, bonaque absentium & præsentium confiscantur; Minima tamen illorum portio cessit Princi, & reliquum à fidelioribus ejus Celsitudinis servitoribus diripiebatur. Quo pacto illorum plerique, qui Codro fuissent prius egentiores, Cræso ditiores posteā evaserant, horumque avaritia eò processit, ut non paucorum opes insontium sibi vendicarent, structâ ipsis per summum scelus calumniâ. Taliusque malitiam & avaritiam licet Princeps ignoraret, nihilominus tamen insons male propterea intra & extra Regnum audiebat.

Verum alia quæ fecerat, commodè propter non servatam à Rege Lin copensem transactionem, & quod ea concederet, ut Ordines se opponerent pactorum transgressor, se Dux excusabat. Qui tamen Regni status etiam in his aliisque consulendos, prudenter considerans, videlicet, quo-

quomodo cum Rege pacta hujusmodi legitimè conventa deferente esset deinceps procedendum, qui non modicam insuper classis Sueticæ partem secum extulisset; Castrum Regni limitaneum Calmarniam externo firmasset præsidio; Finnones, Estonesque ad bellum denuò commovisset, & suos tam indigenas quam alienigenas, in gravissimis defruisset miseriis; Qualique proinde ratione his occurrentum esset malis, editio per Regnum publicato, Jenecopiæ convocat Ordines, initio anni sequentis, ibi comparituros.

Magna etiam rerum turbatio & novatio hoc contigerant anno in Moschovia. Nam eo labente, moriens Theodorus non sine veneni suspicione, à Boritio Godonovio Stabuli Magistro, clam imperium afferante, propinati, cum nulos haberet liberos sceptri hæredes, illud proximo agnato, Michitæ Romanovitio porrigit. Sed contra successorem insurgens, prævalensque Boritius, æmulum hujusque fautores vita privavit, & sibi dominium Russiæ vendicavit. Princeps itaque Sueciæ Carolus, Theodori morte cognitâ, & Boritii tanta sorte, amicitiam sibi magnoperè necessariam Godonovii prudenter considerans, binos Ostrobothnensium primarios agricolarum, nempe Johannem Cranchium & Clementem Osina, ad illum cum literis expedivit; Quibus decessoris lamentatur obitum Theodori, & successori gratulatur Boritio, hujus itâ captans amicitiam, & ipsum simul hortans ad perpetuæ confirmationem pacis, ac limitum designationem absolvendam.

Mense autem Decembri, per eosdem rescribens Moschus, quæritur in primis de Arvido Ericio, quod tabellarios detinuisset, & literas intercepisset, mercatoribusque Russis non permisisset, juxta vigorem transactionis, sua ibi nomina exigere. Deinde culpam in Suecis non Ruthenis, limitum non adhuc positorum, residere probat, suam tamen amicitiam Duci Sueonum deferens. Nec propterea ingratus fuit Principi Carolo, tabellariorum redditus, qui Ostrobothnensium sibi adhuc faventium operâ, in hoc uti negotio cogitur, quod alii Finnonum Regi adhærentes, talem Ducis cum Moscho amicitiam magis impedirendam, quam promovendam, censerent. Ideo his sicut & Polonis, non displicuit, quod non exiguum belli glisceret modò incendium, inter Sueciæ Proregem & Lubecenses. Etenim ut rei narrationem paulò altius exordiar, cum Senatus Lubecensis in gratiam Regis Sigismundi merces Ducis, & præcipue cuprum ad conjugem ejus Celsitudinis pertinens, arresto subjecisset, & monitus nollet illud laxare, Princeps Lubecensium merces in Regno vicissim Sueciæ passim fisco tantisper adjudicavit, donec adversarii damnis satisfecissent. Quos etiam in Oceano infestavit, & proinde magnâ se injuriâ rati affectos, isto sequentique anno, Cæfaris, Regis Polonici & Danici, Electorumque, implorant auxilium, ac simul ipsimet arma parant, quibus sua Rex Sigismundus conjungere, dubio procul, meditabatur.

Hanc tamen callide molitionem dissimulans, post suum in Poloniæ redditum, amicis ad patrum datis literis, abitum ex Regno vehementer excusat, quem nulli mirum videri posse arbitratur, cui despectus non esset incognitus Majestati suæ, in Suecia nuper irrogatus. Alias tamen redditus sui causas esse, nimirum quod in Polonia constitutus, commodius à Germaniæ Principibus, velut ipsis propinquior, posset impetrare Legatos in Sueciam ex condicione procurandos. Deinde non tantoperè suam in iis comitiis præsentiam requiri, ut propterea Regnum Poloniæ, damno per hujusmodi absentiam mactandum,

interea deferere, esset necessarium; Quandoquidem in præfato judicio, ita omnes examinandæ ac judicandæ essent controversiæ, ut secundum leges extrema suæ Majestati relinquetur sententia, quam ubi deinceps rediret, ferre posset; Ideoque prius nihil captivo Senatui ab æmulis posse meritò adferri molestiæ, quod etiam se prohibitum velle omnibus, adfirmat. Porro Legatos, suo nomine, Cæsarlis, Regis Danici, Electoris Brandenburgensis & Marchionis Ansbacensis, pro tribunali eos sessuros memorat, cupiens scire quos patruis ex sua cogitaret parte, ad illud invitare? Quartam denique causam sui statuit redditus, quod postquam Calmarniâ Duci scripsisset, se terrestri Stocholmiam itinere venturum, literis ex Poloniâ missis, serio revocaretur, propter tales in ea seditiones, quæ citra præsentiam non possent Regiam, componi. Hacque satisfactum fugæ apologiâ ratus, pristinam sibi vendicat in Suecos jurisdictionem; Suæ vetat obloqui famæ propter abitum; Regias intercipere literas, & aliquam facesſere molestiam, multoque minus violentiam, suo Stocholmiæ, Calmarniæ ac Stegeburgi præſidio, sicut neque ullis servitorum alibi regiorum & fautorum; Sin verò fecus ficeret Princeps, tum palam suas proderet factiones. Verum secundis literis asperius patruum compellat, ipsi exprobrans, quod suæ Majestatis ministros, alienigenas & indigenas, inhumanissimè tractasset, spoliasset & captivasset, tandemque hortans, ut tempestivè se corrigeret, belli fermentem amplius non spargeret, & Regiæ satisfaceret voluntati.

Anno MDXCIX. Princeps Carolus in omnem intentus partem, quibusdam interceptis literis, quas Johannes Sparrius & Uladislaus Bechius, Calmarniâ in Poloniam scripsissent, omnes adversariorum indè molitiones cognoscit. Verum ex Regiæ sororis epistola, quam Comiti Axilio destinasset, intelligit, Regem alio quam juris processu, captos velle Senatores in libertatem afferere. Nec ipsius quoque latuit Celsitudinem, quod Calmarnense Regis præſidium, inopiâ laborans vietualium, primo vere subſidia foret habiturum, & ita Calmarniam pertinacius defensurum. His itaque de causis, conventus maturans celebracionem Jenecopensis, hujus anni principio Smalandiam versus iter fuscipit, & Vastenum progressus, intelligit quantâ nuper curâ ibi Rex indagasset reliquias SS. Birgittæ & Catharinæ, simulque cognoscens minus illas decenter esse humatas, mandat Georgio urbis pastori, ut tales sibi adferret cognatarum exuvias; Quæ in arcem propterea fuerunt allatae, & postmodum honesto magis forsitan sed occulto aſſervatae loco, vel tumulatae. Porro Edvardus, Marchio Badensis, non ita pridem ab avunculo dimissus, ipsum præceſſerat, festinans per Gothiam, Daniam & Germaniam, in Poloniam; Qui tamen Regem accedere non permisſus fuit, quod illius Majestas ſuceptam nimis haberet illius cum Duce Carolo conversationem. Cæterum Gubernator Sueciæ interea Jenecopiam ingressus, comitia inchoat, in quibus M. Abrahami & M. Erici Schepperi, fuit causa non parum ventilata, qui non omnino infontes depræhensi, licet acriter se defenderent, tamen in pristina manſerunt custodia, illeque ſimil Archiepiscopali exutus honore, ſuccelforem habuit M. Nicolaum prius Upsaliæ Profefſorem.

Isto etiam tempore, proximas Regis literas primum Dux consecutus, Calendis Februarii respondet, & ostendit, varios esse prætextus ejus Majestatis, quibus abitum ex Regno ſuum conaretur excusare, & animum impugnandi denuò patriam, occultare; Quippe manifestum eſſet, quod in Baresundio mandarit naucleris, Calmarniam non Stoc-

holmiam vela dirigere. Quæque reliqua foret illius intentio, hinc non minus perspicue videri, quod Uladislavum Bechium, Dantisco cum milite protinus expediverit Calmarniam; Finnonibus imperaverit arma resumere; Apud varios Europæ Principes se excusaverit, Suecos incusaverit, & se declaraverit, neutiquam velle pactis adhærere Lincopen-sibus. Itaque obsecrat Dux, ut animum Rex mutaret; jure ageret cum adversariis, non armis; Comitia publicaret; Commissarios advo-caret; Sontes judicio præsentaret, in quo & sua Celsitudo respondere esset parata, licet secus esset Lincopia conclusum; Ibidem Rex comparens, processum ipsemet auscultaret, prolatam exequeretur senten-tiam, non absens sibi ultimam reservaret, ceu alio deinceps tempore ferendam; externum Calmarniæ intrusum militem, Regno expediret; Ita nullam Regio præsidio violentiam timeret inferendam. Sin minus, sciret, quod in his, aliisque rebus patriæ flagitaret emolumentum, non esse diutius prorogandum. Proinde sine mora se resolveret, & suam erga Suecos proderet molitionem, procederetque jure cum ipsis non injuriâ.

Quo simul die, Ordines Regi Sigismundo Jenecopiâ prescriben-tes, quandam faciunt anacephaleofin earum rerum, quæ post illius Majestatis accidissent coronationem, exaggerando videlicet, quod in primis nulla Gubernationis formâ convenienti traditâ, ex Regno discessisset in turbis gravissimis constituto; Quod Sudercopensem ægrè ferret conventum, prohiberetque, licet in eo non foret aliud conclu-sum, quam quod pertineret ad Regii executionem juramenti, commo-dam Regni gubernationem, Evangelicæ conservationem religionis, ipsius Majestatis utilitatem, & Regni Suetici tranquillitatem. Imò quod hinc nihilominus præcipuam indignandi Suecis causam arripiens, cum peregrino advenisse exercitu, hostem non Regem se declarasset, & monitus, ut milite dimisso, incolis sibi fidelissimis de securitate caveret, jure non armis ageret, & Regni dominium recipere, contumaciter recusasset; Quod postea, cum armis minus esset feliciter usus, victus-que pacem orasset & impetrasset, paœta conventa non servaret, novum bellum pararet, Finnonesque denuò instigaret. Demum admonent ipsum, ut pactis staret; turbas Sueciæ ac Finlandiæ sedaret; in pristi-num omnia revocaret ordinem; Sontes, habito judicio, plecteret; Religione mutatâ, in patriam se conferret, in ea perpetuo remaneret & pacifice gubernaret; Sin verò his se accommodare nullatenus vellet, ut filium sui loco, Uladislavum, huc expediret, in fide educandum Evan-gelica, & cum adolevisset, coronandum, interea tutele usurum, Regni-que Gubernatore Carolo Principe. Verum si neque hoc vellet, tunc Regem Sigismundum cum tota progenie, prorsus omni privandum ju-risdictione ad Sueciæ thronum, & hunc alteri, qui ex præscripto justi-tiae paratus esset dominari Sueonibus, esse conferendum.

Quibus consummatis ad Regemque ablegatis, de forma concor-diæ consultatur, compilatur, & V. Martii die, tandem obsignatur; In qua primò eadem fermè contra Regem Sigismundum exaggerant gra-vamina, quæ in literis proposuissent, & optionem faciunt, ut vel ipse-met adveniret, vel filium mitteret; Sin autem neutrum obtinerent, se coram Deo, totoque mundo excusatos esse, & paratos ad alium sibi Regem eligendum, & hunc unitis viribus defendendum. Secundò, cum peregrinus teneret Calmarniam miles, contra transactionem intrusus Lincopensem, & accolas non parum molestaret, conclusum est, ut nisi admonitus discederet, Regnique propugnaculum redderet limitaneum,

inde

indè armis Ordinum expelleretur. Tertio, eadem fertur sententia de Finnonibus iterum molientibus rebellionem. Quartò nisi Rex habitis, juxta promissum comitiis, quod æquum esset cuique administraret, Ordinum consensu alias Stockholmiae conventus XXIV. Maij frequentaretur, in eoque omnis controversia examinaretur & terminaretur. Quintò concluditur, ut Dux interea temporis Regni teneret gubernaculum; Patriam & religionem defenderet; His se opposentes decretis quæ consonarent justitiae, Regio juramento & obligationi, plecteret; Incolis Regni subsidium ferret in necessitate, & paratissimum fidelissimumque ab iisdem expectaret, fœdusque istud cum Ordinibus modo sanctum observare nullatenus detrectaret.

Soluto autem conventu Princeps Ordinum statuta executurus, ipsa Calmarniæ præsidio insinuat, misso illuc Comite Erico, hortando indigenas, ut cum aliis consentirent Regni Ordinibus, transactionem perpenderent Lincopensem, & Jenecopenfi subscriberent constitutioni; Sed alienigenas monendo, ut rebus & vita salvis, indè abirent, nec Suecis ibi diutius molestiam faceſſerent. Cum verò neutra pars locum daret admonitioni, regio animata subsidio propediem affuturo, Gubernator exercitu Regni advocato, infestis sub Calmarniam festinat signis, & ipsam aliquandiu non segniter oppugnat. Quando Sueonum classis propinquum oberrans pelagus, sena Regis navigia, omnigenum obſeffis commeatum apportatura, conspexit advolare; Ideoque accessum ipsis prohibitura festinat ad congressum; uno tamen solum potitur, & reliqua, procul dubio, ad castrum penetrassent, nisi telis Sueonum ex continente simul impetita nimium, alibi refugium captare fuissent compulſa. Quamobrem ut horum discessu conſternati sunt obſeffi, ſic obſidentes è contra plurimum animati, facta in munitionem civitatis irruptione, ipsam capiunt; Quando non pauci de milite occubuerunt præſidiario, quorum etiam centurio cecidit, Olaus Laurentius, fratre natus Johannis Gothi. Verum superstites in acropoli evadentes, hanc adeo fortiter propugnauſt, ut hostis impugnationi diffiſus, ad obſidionem converteretur, fame caſtrenſes compulſurus ad deditioñem, quos non ignoraret tanta inopia viſtualium laborare, ut obſidionem diu non poſſent tolerare. Nec ſua fruſtratus opinione; Siquidem brevi tempore omnibus consumptis eſculentis & poculentis, cum diu viliffimis, crassiffimis & putridiffimis, viſtitaffent alimentis, neque ullam à Rege amplius opem expectarent, de eaſtri deditioñe cæperunt deliberare, deque ipſa cum Principe Carolo, variis propositis conditionibus, tractare.

Cæterum cum non alia concederetur, quam ut arbitrio victoris ſe committerent, areemque ita ſimul traderent, aſſentiri coguntur. Faſtā igitur deditioñe, in primarios indigenarum gladio & laqueo, animadvertisit; Siquidem Johannes Sparrius, Christopherus Andersonius & Laurentius Ralambius, viri genere nobiles, fuerint decollati, capitaque horum ferreis imposta perticis; Sed alii strangulati, quorum unus fuit Georgius Fransbachius Cœnobii Vastenensis œconomus, cui falſo adjungit Typotius, Olaum Laurentium, quod hic in oppidi ceciderit prius expugnatione. Porro alienigenis Dux vitam donavit omnibus, quorum non pauci ad militiam ejus Celsitudinis ſe contulerunt, & fidam Regno Sueciæ operam diu præſtiterunt. Cæteris autem hic militare abnuentibus, candidi per ludibrium traduntur in manus ſcipiones, iisque ſolum armati, revertuntur in Polonię; Iſtorum tamen Capitaneum, Uladislaum Bechium, Princeps eo detinuit confilio, ut cum illis permuta.

mutaretur, quos inde Rex captos anno priori, abduxisset, velut etiam postea contigit. Nec sane tantum perculit Regem Sigismundum præfata Suecorum cædes, quantum Senatores Regni captivos, qui nullam deinceps vitæ spem retinendæ foyisse perhibentur.

Quanquam & ille tali cladis nuncio fuerit tantopere commotus, ut proximas Ordinum literas, nullo dignatus responso, nocturnâ diurnâque voveret cogitatione, modum Suecos propterea, sicut etiam ob prioris anni despectum multandi, decerneretque armatam huc transmittere classem. Nec ideo minus illius Majestati Sueones vicissim indignati, non quidem in Maijo, sed mense Julio Stocholmiæ confluunt, & ponderatâ diu controyersiâ, quæ ipsis cum Rege, Lubecensibus, Finnonibus ac Livonibus, intercederet, tandem XXIV. ejusdem die, itâ se Principi resloverent: *In primis* omnem renunciant obedientiam Regi Sigismundo, quod avito non adhæsisset testamento; proprio juramento & obligationi, præstitis in coronatione non satisfecisset; ut neque transactioni Lincopensi, suaque omnino culpa jure quolibet excidisset; Nec ullam prorsus spem emendationis ostenderet, quamvis saepius foret admonitus. *Deinde* filio deferunt Regis Sigismundi Uladislao sceptrum Sueciæ, hac tamen lege, ut missus intra spaciun anni à parente in Regnum, sub cura Principis Caroli educaretur in Evangelica religione, & postquam adoleveret, coronaretur; Alioquin & ipsum simul cum patre successionis jure privandum, & nemini unquam ex illa progenie, thronum Sueciæ conferendum; Sed in proximam stirpem ex præscripto constitutionis, quoad successionem, hæreditariæ, transferendum. *Tertio* statuunt, nisi Finnones & Estones denuò concordiæ admoniti, cum aliis Regni Ordinibus ineundæ, obtemperarent, ut armis domarentur, iisque cum Dux vellet ipsemet præesse, absenti promittunt fidelitatem, & si quid ejus Celsitudini contigerit humanitus, uxori, liberisque conveniens auxilium. *Quarto*, similiiter concludunt, ut cum Lubecensibus amica primum tentaretur controyersiæ transactio, juxta Stetinense Decretum, & si contumaces essent, pro hostibus deinde haberentur, plecterenturque. *Quinto*, consentiunt Ducis voluntati, ut captivorum examinanda prorogaretur causa ad proximum usque conventum, & redditum ipsius Celsitudinis ex Finlandia, ut interea Legati Principum externorum, litem in judicio solum auscultaturi, non judicaturi possent impetrari. *Sexto*, decernunt, ut omnium causa, qui aliquomodo proditionis essent erga patriam suspecti, captivatorum & liberorum intra vel extra Regnum constitutorum virorum seu fœminarum, in eo sic ventilaretur conventu, ut fontes multarentur, & insontes liberarentur; Ac propterea interim bona illorum mobilia & immobilia esse arresto subjicienda. *Postremo* in gubernatione Carolum Ducem confirmant, ipsi promptissimum & fidelissimum promittentes auxilium, quodque secus animatos prodituri; mortuo illum subrogaturi, & clavum Sueciæ porrecturi, quem in suo nominaret Gubernator testamento successorem; Sicut etiam quod propterea Johannem & Gustavum Dominos Regni hæreditarios, omni essent diligentia educaturi.

Ista decreti fuit summa Stocholmensis, quam sine mora Sigismundo Regi, Lubecensibus & Finnonibus, Livonibusque intimarunt Sueones, nihil ab illius Majestate obtinentes responsi; Sicut neque conveniens à Lubecensium Senatu, & proinde Gubernator XX. Augusti, edito publicato, Lubecenses proscripti, qui publico etiam mox scri-

pto, suam defenderunt causam, ac eandem expedito ad Cæsarem Ora-  
tore Apocleto, non segniter egerunt. Finlandi porrò & Estones jussi,  
ut se intra XIV. dies resloverent, neque mitius responderunt; Ideo-  
que bellum in eos proclamatur, & sedulò apparatur. Sed antequam  
Dux in rebelles moveret, convenit ipsum Stocholmiæ nuncius Regis  
Polonus quidam, quo cum reor decreti sententiam esse transmissam;  
Quid verò ille habuerit ad Suecos in mandatis, mihi nec dum innotuit.  
Hoc tamen constat, quod Rex modò octo navium moliretur classem,  
quibus patruo in Finlandia versante, Sueciam felicius infestare, & ca-  
strum præsertim Elsburgense cogitaret occupare. Modicum igitur Fin-  
nonibus & Livonibus misit subfidium; Siquidem Georgius Farense-  
cius cum paucis solum turmis equitum fuerit illuc expeditus, ut Hui-  
tenstenum & Revaliam in Regis potestate contineret. Verum ab inco-  
lis jugum detrectantibus Polonicum, non intromissus, Casparum Ti-  
senhusium cum parte copiarum alegat Viburgum, ubi non difficulter  
susceptus, primariis Fennonum, qui refugium ibi postea captassent,  
maximo fuerat solatio.

Cæterum tempore comitiorum, novus Regni Archiepiscopus M.  
Nicolaus, crepans medius, animam Stocholmiæ miser exhalavit, &  
cathedra postmodum Upsalensis, plus quam biennio vacasset. Secundum  
verò comitia Gubernator ita rebus domi, forisque profecto ordinatis,  
ut non magnoperè pusillam Regis classem formidaret, in Finlandiam  
traducit exercitum; Quando & navales Regis copiæ Dantico solven-  
tes, Admiralo Johanne Gyllensternio, speratum non habuerunt suc-  
cessum. Nam, Jacobo Typotio teste, præatoria in scopulum, fraude gu-  
bernatoris impacta, Elsburgum non tentavit, & reliquam Architha-  
lassus classem quoque laceram in Lubecensem deduxit portum. Itaque  
fortunatior fuit Principis Caroli expeditio, utpote licet non im-  
parata Finnorum agmina, quibus præfuit Axelius Kurchius, ex navi-  
bus descendantem animose profecto exceperint, tamen mox in fugam  
conversa dilabebantur, horumque antesignani refugium Viburgi quæ-  
siverunt & invenerunt. Ast Princeps victoriam prosequens, sub Abo-  
giam dicit exercitum, eaque non difficulter potitus, in primarios se-  
ditiosorum ibi captos gladio animadvertisit; Quibus accessit Johannes  
Flemmingius præmortui filius Claudi unicus, annos natus XXI. Quan-  
dò & non procul Abogiæ compræhensum Johannis avunculum, Olavum  
Gustavum à Torpa Baronem, ænormium accusat Princeps criminum,  
& præcipue quod Regem Ericum glande plumbea captivum vulneras-  
set; Ideoque in propinquam deductum à milite paludem, arborique  
alligatum, globis mandat vicissim trajiciendum & ibi sepeliendum.

Hactenus etiam variis amicorum literis Dux admonitus, de pe-  
riculosa Regis Sigismundi cum Lubecensibus machinatione, cum his  
transfigere statuit, nè à pluribus simul hostibus obrueretur. Itaque IV.  
Novembris, Abogiæ ita Lubecensium Senatui perscribit, ut se non a-  
lienum ostenderet à negotio pacis instaurandæ; suam nihilominus cau-  
sam, factâ totius controversiæ anacephaleosi, gravibus roborat ratio-  
num momentis, & simul non minus sagum quam togam ostentat.  
Cæsarem prætereà non satis rectè à Lubecensibus de hac re informa-  
tum deinceps compellavit, quo, velut narrat Typotius, sequestro, lis  
fuit postmodum composita. Sed modò cum illos, & alios non paucos  
haberet hostes conjuratos, quorundam sibi Principum necessariam fore  
amicitiam, & inprimis quidem Moschi, tanquam Polono simul infesti,  
pru-

prudenter considerans, datis ad ipsum ex Finlandia quoque literis admodum officiosis, se magis illi insinuat; suum contra Finnos successum rebelles significat; ad pacisque confirmationem perpetuæ invitat. Quod Moschus obsequio delinitus, magnificam expedit legationem ad Sueciæ Proregem, quâ fungebatur primario quidam Basilius Burvitius, inter alia in mandatis habens, ut Sueci & Rutheni conjunctis armis, Polonum ceu hostem communem impugnarent.

Interea Princeps Carolus reliquam subjugaturus Finlandiam, Viburgum ceu nidum rebellium, deinceps aggreditur, quod ipsi tandem deditur; Ubi etiam non pauci Fennorum capitis suppicio factionem luerunt. Sed tamen Axelius Kurchius & Arvidus Ericius, omnium antesignani, mortem evadentes, captivi mittuntur in Sueciam, & saepius judicio sistuntur, ad suppliciumque producuntur, quod nihilominus non subiverunt. Increbuit porro fama deinceps, quod illorum capita in longis exposita perticis, qui rebellionis pœnam Viburgi sustinuerunt, proximi natalis Dominici nocte essent audita concinere unum ex XLVI. Davidis psalmo versiculum; Ast quam verus hujusmodi extiterit rumor, non examino, Dei illum permittens scrutinio. Quamobrem subacta haec tenus Fennoniâ, Estoniae cœpit Princeps meditari quoque subactionem, & sane missò Narviam cum exercitus modica parte, quodam Petro Stolpio, illam protinus obtinet à Regis præsidio, clam partibus suis addicto, libenter deditam, Moschique in castro adverso, Carolinorum fortunæ gratulantes, displosis aliquot belli machinis, novos vicinos & amicos solenniter salutarunt.

Demum Revalienses de subjectione Gubernatori Sueonum præstanta, compellati, responderunt, se quidem nolle à Sueciæ Regno aveli, & propterea se parere velle, in cuius verba jurassent Regi Sueciæ ac Poloniæ Sigismundo. Simile etiam apud reliquos Estonum nactus responsum Princeps Carolus, ipsis arma minatur, & hæc comparatus validiora, quam pro tempore haberet, sub anni finem cum triumpho, ex subacta Fennonia obtento, in Sueciam remeavit. Ibi porro inventos, vel secum adductos Moschi Legatos, XXI. Decembbris post nonnullam cum ipsis de confœderatione habitam actionem, expedivit, officiose describens, quod hujusmodi negotium cum illis non posset transigere, & propterea suos ad ipsum brevi Godinovium Commissarios ablegaturum, quo cum facilius coram possent, dubio procul, convenire. Ita Ruthenos liberalissimè donatos, & splendidissimè tractatos Prorex remiserat. Inviserat quoque Danus per Legatos, hoc anno Principem Sueciæ, quibus officii gratia prope Regnorum limites occurrit, illisque non minorem exhibit benevolentiam, quam Moschoviticis. Sed quam ob causam advenerint, ignoro; Nisi quod nonnulli memorent, pro captivo Regni Senatu, ipsis multam fecisse intercessionem, & nihilominus repulsam passos, Duce Carolo hujusmodi causam arbitrio Statuum propediem Lincopiæ convocandorum, submitente.

Cæterum ad Moschum reversus, comperio ipsum suos etiam Oraatores hoc tempore apud Rudolphum habuisse Imperatorem, qui redendo per Borussiam, intelligentes filium Erici Regis, Gustavum, Toruniæ morari, suo id principi manifestant. Is autem non ignarus amicitiæ, quæ olim inter Ericum & Johannem Basilium, intercessisset singularis, istamque propter Regnum patri & filio Sueticum esse ablatum, statuit Gustavo in Russiam vocato magnificam facere provisionem. Proinde

missō ad ipsum protinus Johanne Anglero , interprete suo , honorifice illum ad se invitavit , & licet aureos promitteret Boritiū montes , tamen quod Gustavus Ruthenicam submetueret perfidiam , accessum illuc prorsus recusavit.

Anno MDC. ineunte , Gubernator decreto satisfacturus Stocholmensi , Ordines vocat Lincopiam , & simul amicissimis obsecrat literis , affinem suum Johannem Adolphum Holsatiæ Ducem , ut conventui per Legatos adesse non gravaretur. Is proindè sororio gratificaturus , Lincopiam transmittit binos suorum procerum , videlicet Clementem Gaderorpium & Gerhardum Stedingh , ut processum auscultarent contra reos conventos instituendum , & ingenuum posteā testimonium perhiberent justitiæ. His autem & Ordinibus Sueciæ , Gothiæque in oppido Lincopenſi congregatis , sub exitum Februarii Princeps Carolus initium facturus comitiorum , sequentes proponit articulos , illic discutiendos , horumque *primus* : Quandoquidem Legati nuper Moschovitici fœdus non contemnendum sanè Sueonibus obtulissent , ut Ordines deliberarent , an quibus legibus , & quorum operâ illud esset pangendum. *Secundus* , suum ferrent judicium de responso , quod non ita pridem Legatis Jenecopiæ Danicis esset datum à sua Celsitudine , Statibus non consultis. *Tertius* , quomodo procedendum cum Lubecensibus , qui satisfacere justitiæ adhuc tergiversarentur. *Quartus* , cum Agenda Ecclesiæ Suecanæ non modicâ indigeret reformatione , & propterea mandato suæ Celsitudinis à quibusdam , ceremoniarum non ignaris Ecclesiasticarum synceriorum , nonnihil esset castigata & emendata , ut præsens Regni clerus , revisum percurreret exemplar , candidamque ferret de ipso sententiam. *Quintus* , se Ordines quoque declararent , cui Vastenense cœnobium esset usui deputandum , scilicet an collegium inde , vel Nosocomium deberet fieri. *Sextus* , nunquid statibus Poloniæ ac Lithuaniae non esset scribendum , ut se amicos vel inimicos Suecis declararent. *Septimus* , cum neque Rex ipsorum Sigismundus adhuc se resolvisset , an filium huc missurus nec nè , & præfixum semestrè deliberationi elapsum esset tempus , illeque videretur non obtemperatus Sueonum admonitioni , ut consultarent , quisnam orbo Regni gubernaculo , ista esset tempestate admovendus. *Octavus* , ut Regni Status , juxta promissum in comitiis Stocholmiæ nuperis factum , susciperent modò causam Senatus captivi , & aliorum in eodem scelere compræhensorum , legitimè ponderandam , judicandam , ac tandem executioni , fine mora ulteriore , mandandam. *Nonus* , ut complicum non pauci in regno non præsentes , quos inter essent filii Hogenschildi & Claudi Bielche , peremptoriè citarentur , & nisi comparerent , condemnarentur ac mulctarentur. *Decimus* , quod Revalienses cum aliis Estonum essent Ordinum litérīs Suecorum admonendi , nè deficerent à Regno Sueciæ. *Undecimus* , cum talis foret Regni status , ut ornatissimum semper exercitum requireret , deliberarent , an tertius quisque incolarum esset militiæ adscribendus , & impensis aliorum domi remanentium , alendus , aut vellent potius universi , tempore necessitatis arma sumere , patrīamque defendere ? *Duodecimus & ultimus* , Clero speciatim propositus , hujusmodi fuit articulus ; Si Rex Sigismundus ante biennium prævaluissest , nunquid non Evangelico seu dogmati Lutherano , certus interitus contigisset. Ideoque qui ejus Majestatem cum tanto Religionis prorsus extirpandæ periculo , in Regnum adduxissent , quid promeriti essent ?

Placuit verò in primis octavum velut reliquis graviorem, & cuius potissimum gratia Ordines convenissent, decidendum suscipere. Quocirca tribunal ordinatur, & judicibus ex quolibet Ordine deputatis, Dux Carolus in consesso ipsorum, ceu Auctorum primarius, comparens III. Martii die, prolixa illos oratione hortatur, ut Deum, velut supremum mundi judicem præ oculis haberent; Nulli plus æquo faverent, cujuscunque esset conditionis; Insontes damnare caverent; Atque ut omni prorsus metu liberi, secundum Divina & humana jura, propriæque dictamina conscientiæ, controversiâ penitus examinata, æquissimam proferrent sententiam, publico ipsos diplomate à fidelitatis juramento, quo sibi velut Sueciæ Gubernatori essent obstricti, tantisper absolvit. Deinde cum adversariis congressurus præsentibus, quorum primarii fuerant, Gustavus & Steno Baner, Hogenschildus, Thuro & Claudius Bielche, Ericus Sparre, Ericus Abrahamius, Georgius Posse, prius Regni Senatores; Carolus Gustavius, Christiernus Clausonius, Axelius Kurchius, Arvidus Ericius & Benedictus Falchius, sua vel potius Regni totius contra illos gravamina per judicii præconem, curat promulgari; Simul denuncians, quod cum octo priorum indignos se præbuissent gratiâ, quæ ipsis quondam à Johanne & Sigismundo Regibus; sicut etiam sua foret Celsitudine immerito exhibitâ, ideo & vetera illorum crimina esse simul ventilanda, mulctandaque. *Primo*, itaque accusati, velut autores periculose litis, quæ cum magno Regni detimento, inter Johannem & Carolum fratres, diu admodum flagrasset. *Secundo*, ipsis esse imputandum, ceu non impedientibus, ast conniventibus, quod Rex Sigismundus in Pontifica esset educatus religione, unde omnis patriæ hodierna profluxisset calamitas, quæ propterea iisdem foret adscribenda. *Tertio*, Liturgiam promovendo, & simul ipsi subscribendo, papatui ostium in Sueciam reducendo, patefecissent. *Quarto*, Principem Carolum falso insimulassent con spirationis cum Carolo Mornæo & Claudio Kurselio, quodque fratre deposito Johanne, thronum occupare esset molitus, & propterea quandam contra hostes Regni Moschos suscipere profec tionem detrectasset. *Quinto*, iisdem suasoribus & auctoribus, prorogatam fuisse transactionem controversiæ, inter Suecos & Danos, super tribus coronis. *Sexto*, illis etiam consultoribus, non modicam Polonis factam esse spem Estoniae, quandoque obtainendæ. *Septimo*, quod Finnos & Estones ad rebellionem permovissent, quam & Smalandis, Vestrogothisque suauissent. *Octavo*, hostes præterea externos nempè Danos & Lubecenses patriæ essent conati objicere. *Nono*, cum tanta caritas annonæ Sueciae regnum flagellaret, ut multa incolarum millia in eo fame essent mortua, illorum consilio prohibuisset Rex Sigismundus, Vandaliæ ac Livo niæ negotiatoribus, huc victualia importare. *Decimo*, Gubernatorem Regni libris & literis, insontem prorsus infamassent. *Undecimo*, à decreto Sudercopensi & Concilio Upsalensi defecissent, propriaque sigilla fregissent, suadendo armatam Regi profec tionem in patriam & patrum, non ignorantes eam contra illius Majestatis esse juramentum & ipsorummet proprium; Sicut & probè scientes, quod si victoria Pontificiis cessisset, ætum fuisse de religione in Suecia Evangelicorum. *Ultimo*, iisdem sanguinis illam profusionem horrendam, quæ in Finlandia primò & tandem in Suecia contigisset, acceptam esse referandam, diluendanique.

His autem consternati propositionibus, Ericus Abrahamius, Claudius Bielche, Christiernus Clausonius & Georgius Posse, in genua coram tribunali procumbunt, culpam agnoscunt aliquantulum, & gratiam flagi-

tant, quam quoque impetrant, interceßione Legatorum Holsaticorum & Ordinum Sueticorum. Deindè, cum reliquis Senatorum, Gustavo, Erico, Hogenſchido, Stenone & Thurone, aliquam agnoscere culpam recusantibus, certamen ſuscipitur acerrimum, qui demum propriis convicti literis & scriptis, animo conciderunt cauſaque ; Excepto tamen Hogenſchido, qui alienum ſe à culpa, omnis per Regem Sigismundum ſectatoresque tumultus nuper in patria excitati, declaravit. Nam omissis aliis gravaminum punctis fermè universis, iſtud fermè ſolum in hoc diſcutiebatur judicio. Carolus quoque Gustavius, hac in re minus culpabilis depræhensus, alterius accusatur criminis, videlicet homicidii ; Sed Axelius & Arvidus, juxta ſententiam in Finlandia latam, rei mortis cum Falchio censentur. Interea Clerus XII. ponderans articulum, XIII. Martii respondebit, ſole clarius merediano eſſe, quod Rex factus vīctor, Pontificiam obtrufiſſet Suecī religionem ; Nam ſi coronationis tempore, Suecos ad ipsam amicos cogere eſſet molitus, quid non poſteā illis feciſſet inimicis bello ſuperatis ? Proptereā impiè factum, inhoneſteque ab illis eſſe, qui talem fuafiſſent Regiæ Majestati contra Suecos inſontes expeditionem.

Post quatriduum verò, nimirum XVII. Martii die, Gustavus Baner, Ericus Sparre, Steno Baner & Thuro Bielche, morti palam adjudicati fuerunt his de causis : *Prima* eſſe, cum varias obligationis & fidelitatis literas, Carolo Duci ſæpius datas, obſignatasque, ſicut etiam Sudercopensem constitutionem, in qua ſibi pænam affiſſaſſent, ſi ab ea deficerent, eſſent transgreſſi, ut morte tanquam perjurii, & literarum ſigillorumque violatores, plecterentur. *Altera*, quandoquidem propriis & alienis scriptis in judicio productis, illuſtrissimum Regni Principem hæreditarium & Gubernatorem prorsus innocentem infamaffent, ideo pœnam incurriſſe, quam IX. præſcriberet caput legum Sueticarum, titulo de juribus regalibus. *Ultima*, cum contra proprium & Regium ſimul juramentum persuaſiſſent Regi Sigismundo, inſontis patriæ impugnationem, quā hominum plurimi occubuiſſent, vitâ & bonis eſſe privandos, ex præscripto itidem codicis Suetici VIII. & IX. capitib⁹, titulo de criminibus ænormiter capitalibus. Nec illos juvare quandam capite IX. exceptionem, quæ facinus in patriam hujusmodi ſic diſtingueret : *Niſi Regem comitentur legitimum Regni*. Hinc conſtare quod vigore proprii jurisjurandi forent obligati, Regno utilia illius Majestati ſuadere, & non quæ Regio contraria eſſent juramento ac obligationi, patriæque in noſumentum ; Sera proindè ſuit omnis modò excuſatio & culpæ deprecatio, quam per uxores, liberos & fautores alios, adhibuerunt.

Cæterum quædam haſtenus problemata inter Ordines de persona throno idonea nominanda, haud modice ſollicitos fuerunt ſparsa, quæ non imperitus quidam juris Cæſarei compilafſet, nec idem promotioni Ducis Caroli parum favifſet, prout illamet teſtantur, quæ hujus fuerant tenoris : *primum*, An licitum eſſet aliquem diſcedere ab obedientia Magistratus, ejus inquam, qui utiliter aut faltem tolerabiliter adminiſtraret Rempubliſam, nec malitioſe abuteretur potestate ? II. Quod si Magistratus eſſet iniquior, ita ut ſæpè abuteretur potestate ad injuriam multorum ex ſubditis, num vel tum liceret homini Christiano, qui tali Magistratui foret ſubditus, ac jurejurando obſtrictus, illi ſe opponere, præſtitumque juramentum retractare. III. Quid si Magistratus ob manifeſtam tyrannidem & vitam flagitiosam, exiſtimaretur jam intolerabilis, an vel tum liceret ſubditis, præſertim ſuperioris gradus ſeu status, ipſum

ipsum per rebellionem fracto juramento, vel occidere, vel ab officio de-  
jicere. IV. Quid si Magistratus, vel laboraret incurabili morbo, vel  
alioqui ob certos defectus sive ab ætate, sive aliunde provenientes, jam  
non valeret Rempublicam salubriter administrare? V. Suntne &  
aliae causæ, his proximis similes, ob quas subditi Magistratui, sive vo-  
lenti sive nolenti bonâ conscientiâ detrectare possent obedientiam, eamque  
ad aliam personam transferre?

Quibus probè discussis, sicut & aliis omnibus Regni negotiis,  
tandem XIX. Martii, Ordines condito generali decreto se resolve-  
runt, in quo *primum* concluditur, ut Rex Sigismundus ob causas alibi  
sæpenumerò inculcatas, nullo unquam tempore, throno Sueciæ restitu-  
eretur. II. Neque filius eodem Uladislaus potiretur, quod semestre esset  
tempus elapsum, nec se pater adhuc declarasset, an illum vellet mittere,  
nec nè; Ac licet Princeps Carolus, sequens candidato tempus quinque-  
mestre concedendum voluerit, nulla tamen affulgeret spes, quod huc es-  
set transmittendus. III. Patruo hujus Duci Johanni, nec sceptrum mo-  
dò porrigi potest; Nam etsi proximus illius esset hæres, juxta tabulas  
successionis, tamen quod subverendum magnopere, nè seductus à fra-  
tre, cum ipso contra Patruum & patriam insurgeret; Sicut etiam cum  
minor adhuc esset annis, nec valeret Regni clavum hac tempestate feli-  
citer gubernare, propterea contentus esset pro tempore, Ducatu Ostro-  
gothiæ cum Broborgo & Lechensi ditione. IV. Serenissimus Dux Caro-  
lus, licet plus æquo relugetur, tamen Regni gubernaculum retinere  
non gravaretur, cum ita postularet modernus patriæ status. V. Ipsi fi-  
lius succederet mortuo Gustavus Adolphus, & huic sua progenies ma-  
scula. VI. Sin verò ea non extaret, nec alias Caroli filius, tum Dux  
Johannes, aut ipso non superstite, filiorum seu nepotum aliquis, diade-  
ma suscipierent, hac tamen lege, ut nullam prorsus foverent amicitiam,  
cum Rege Sigismundo, vel ejus progenie in patriæ detrimentum; Nec  
ullam illis partem Regni permitterent, aut Pontificiam suscipierent reli-  
gionem, cum nullo imposterum tempore, vellent Sueones Magistratui  
subesse Pontificio. VII. Veterem retineret Agendam Ecclesia Suecana us-  
que proximum Regni conventum, & novam interea doctiores in clero  
ventilarent, non obtrudendam recusanti presbyterio, cum promisisset  
Gubernator, aliud se in negotio religionis non attentaturum, quam quod  
concilio esset Upsalensi consentaneum. VIII. Ex Polonis & ipsorum Rege  
per literas sciscitaretur, quid Suecis inde esset expectandum? IX. Re-  
valiens & Estonum reliqui admonerentur subjectionis, quâ Regno Sue-  
ciæ essent obligati. X. Cum Lubecensibus amicè transfigeretur, aut in  
contumaces bellum suscipieretur. XI. Oblata nuper confederatio per  
Moschum in Polonos, non negligeretur; sed missis eò legatis ex arbitrio  
Gubernatoris pangeretur. XII. Sententia in eos lata qui morte  
mulctandi, esset rata, quam & Ordines coram Deo, totoque mundo  
essent parati defendere, tanquam justitiæ conformem. XIII. Hogenschil-  
dus & Carolus Gustavius, juramento suam probarent innocentiam, Gu-  
bernatorique in quibusdam aliis satisfacerent, & interim essent in cu-  
stodia; velut etiam Claudius Bielche, Christiernus Clausonius, Ericus  
Abrahamius & Georgius Posse. XIV. Nobiles Finlandiæ, istorum com-  
plices, quibus vita donaretur, tertiâ suorum parte fundorum hæredita-  
riorum, mulctarentur, Coronæ in perpetuum subjiciendâ, & feudis pri-  
varentur omnibus. XV. Parochi Finlandiæ, qui consilio & auxilio, de-  
cretis se Regni opposuissent, officio & beneficio privarentur, nunquam

restituendis. Reliqui autem, qui solum statutis non obedivissent, officia & beneficia retinerent quidem, sed ex decimo parochianorum quolibet, V. penderent loco mulctæ, thaleros. XVI. Civis verb in urbibus Finlandiæ, prætores, scribæ & sculpteti, qui ex professo rebellionem foyissent præfatam, triente honorum mulctarentur.

Porrò quoad responsum Danicis nuper datum à Gubernatore Legatis, illud Ordinibus neque improbatur, & missis posteà ultiro citroque literis, ita convenitur utrinque, ut initio sequentis anni, Sueones cum Danis, circa Regnorum limites colloquerentur, de rebus quibusdam controversis; Quarum depræhendo unam fuisse litem de tribus Regni Coronis, cuius prorogationem Rex Sigismundus æquò diutius concessisset. Cæterum articulus de cœnobio propositus Vastenensi, quomodo fuerit conclusus, in actis comitiorum non invenio, & licet de illo aliquid forsan Ordines statuissent, tamen nullus fuit secutus effectus. Sed Princeps Johannes, cum reliquo Ducatu Ostrogothiæ, proventus monasterii suis deputans usibus, uni tantum monialium in Regno adhuc remanenti & vitam cœlibem agenti, modicam inde sustentationem assignavit. Alia verò decreti puncta Lincopensis Gubernator sine mora executurus, Poloniæ & Lithuaniae perscripsit, ut se palam resloverent ante Maii Calendas. Novis etiam literis compellavit Regem Sigismundum, decreta Statuum ipsi manifestans, utque filium quantocius huc expediret nihilominus adhortans. Estones pariter invitati ad pristinam Regno Sueciæ obediunt, ejusque moderatori præstandam. Sed Maximiliano Archiduci Austriae, ceu Ordinis Magistro crucigeri, Princeps Carolus, teste Jacobo Typotio, persuadere conabatur hoc simul tempore, ut conjunctis secum armis, reliquam Poloniæ Livoniam quoque subduceret.

Qui tamen Suecorum non dignatus fuit respondere votis; Sicut neque Lubecenses, qui vigore decreti, ad æquam provocati transactiōnem cum Regno Sueciæ instituendam, contempserunt, ideoque suas hic merces amiserunt. Verum Moschus suscep̄tis hinc Legatis, cupidè Suenum complexus amicitiam, fœdus cum illis pangit desideratum; Animo tamen subdolo, cum Suecis propter Estoniam & Finnoniam, non minores simul tenderet insidias quam Poloniæ. Enimverò non commodius se voti compotem fore, quam si operâ Gustavi Ericii, quadam in utramque jure provinciam propter parentem gaudentis, in tali negotio uteretur, callide considerans, donis animum illius expugnare decrevit. Quibus ille vixit, isto anno expedivit in Russiam suum aulæ Magistrum Christopherum Cator, ipsoque Toruniam reverso cum talibus Boritiæ literis, quod publica ibi fide gavisurus, & indè quando liberet, securè foret redditurus, Rigam se contulit, ubi diploma Ducis Moschovitici, Henrico Flogel, civium uni tradit asservandum, in Russiamque cum suo pergit comitatu modico; Et propterea cum non procul Mosqua distaret, Dux obviam illi misit equites mille, ornatos splendidissime, à quibus insigni pompa in urbem deductus, lautissimo post dies aliquot excipitur convivio, Ducali famulatu, ornatu & apparatu donatur.

Sed Gustavi patruus calamum revocat, Carolus, qui soluto Linco-piæ conventu, XX. Martii, summo mane, abitum indè accelerat, & circa meridiem captivus, ad supplicium Senatus produc̄tur, qui circumfusam verbosè allocutus multitudinem, suam conabatur innocentiam demonstrare. Cæteris tamen vehementius id præstitit Ericus Sparrius, qui suam ex charta recitavit protestationem, & mox illam dilaceravit, cuius exemplar alibi posteā repertum confutabatur. Eduicti etiam simul ad specta-

spectaculum, non supplicium, Hogenschildus & Claudius Bielke, Carolus Gustavius, Ericus Abrahamius, Christiernus Clausonius & Georgius Posse. Quos, aliosque cognatorum & amicorum, illic præsentium amplexati, vale illis dicunt extremum, deinde Gustavus primo lictoris gladio sternitur; quem Ericus Sparrius sequitur, & hunc Steno; tandemque Thuro similiter occubuit, quorum corpora protinus inde portata, mundata, & uno in Ecclesia cathedrali tumulo propè januam occidentalem fuerunt condita. In circò autem supplicii remanentes Axelius Kurch & Arvidus Ericius, se morti quoque accingunt; à qua tamen illos Dux liberat, uno suorum servitorum remisso Lincopiam cum nuncio isto salutari. Qui cum prioribus in custodiam reducuntur. Ultimò demum cæditur Benedictus Falchius, sicque actio non parum tragica clauditur.

Quando M. Abrahamus Regni senior Archiepiscopus, Stegeburgi captivus adhuc detinebatur, qui novam adeptus Agendam, copiose ipsam confutavit, ceu magis Calviniano quam Lutherano conformem dogmati, nec ita obscure Principem Calvinismi insimulavit, cuius non minus studiosum esse Suecis obtrudendi, quam Johannes & Sigismundus Reges fuissent Catholicæ fidei, clam dicitavit. Quam propter contumaciam, vinculis non absolvebatur, & Princeps subveritus, nè liberatus, ex Regno profugeret, sicut fecisset sub Rege Johanne, turbasque commoveret similes, in carcere illum retinuit, quamdiu imposterum supervixerat. Ericum tamen Schepperum carceris socium, foro conscientem uti & servire tempori, pristinæ restituit libertati, sed non Stocholmensi civitati; Nam Upsaliæ in primis egerat parochum, & postea Enecopiae, hicque finem vitæ imposuerit turbulentæ.

Cæterum præsentis anni æstate, Margareta Johannis Sparrii coniux ex Dania in Poloniæ cum liberis profecta; Regem Sigismundum Varsaviæ suppliciter orat, ut mortem vindicaret sui mariti & sororii Erici Sparrii, nè quidem fratribus suis parcendo, scilicet Erico & Magno comitibus, quod Sparrium morti adjudicassent. Ille autem non minus ægrè ferens interitum utriusque, sicut & reliquorum procerum, supplicem magnopere consolatur viduam, orphanosque. His enim paterna decorat insignia, quibus addit turrim & binos machinarum globos bellicarum, ita fidelitatem, strenuitatemque Johannis Sparrii in propugnanda usque mortem Calmarnia, apud posteros testificaturus; Nec his contentus, præter maximi precii munera in auro, argento, & vestimentis, sexcentos Margaretæ cognatæ assignat aureos, quotannis levandos. Quæ tantâ Regis benevolentia plurimum recreata, Daniam cum liberis repetit.

Interea etiam Rex Sigismundus patrui & Ordinum natus literas Suecorum, tabellarium conjicit in vincula, in his annuo deinceps spatio detentum, nec quicquam respondit nostratis. Sed Ordines Poloniae rescribunt post semestre, ita quidem ambiguè, ut num pacis aut belli forent cupidi, nemo discernere posset. Estones vero, & præfertim Revalienses, aliud longe responsum dederunt. Quo Gubernator non mediocriter animatus, militarem illuc decernit expeditionem, non tantum propter Estoniae subactionem, quam minus difficulter esset habiturus, quantum propter reliquæ expugnationem Livoniae, tibi hostis dormitare, non vigilare, videbatur. Itaque consensu Ordinum imperato, & valido exercitu comparato, XXXI. Julii solvit Stocholmiæ, in Livoniæ navigans cum uxore, liberisque, & IX. Auguſti die in portum

tum delatus Revalensem , amicè ac honorificè suscipitur. Ibi proinde familiâ imbelli relictâ , cum exercitu Estoniam peragrat, & illam facile occupat ; Siquidem Regis in ea præfidiarii adventu Ducis consternati, quos inter fuit Claudius Slatte , Castellanus Huitensteinensis , omisis arcibus , sibi fuga consulerent. Estoniâ tali successu recuperatâ , Gubernator viætricia porrò proferens in hosticum signa , Dorpatum impugnat & expugnat. Nec eo contentus , totam fermè Livoniam Suetico subdit dominio ; Quippe præsenti & sequenti anno , Parnaviam insuper , Volmariam , Ixeliam , Vendam , Amseliam , Kochenhusium , Overpaliam , Salis , Felinum & Lais occupavit, ac demum Rigam ipsam acriter oppugnavit.

Anno MDCI. Rex Sigismundus istum Livoniæ cognoscens statum, Patruo non mediocriter propterea succensuit , & in talia cum gemitu prorupit verba : *Non sufficit tibi Carole , quod hereditario me spoliaveris sceptro , electitum mihi etiam eripere seu potius diripere , traducto in Livoniam exercitu conans.* Dixit & actutum comitia indixit Varsoviæ , in quibus mense Februario & sequenti , celebratis , bellum in Suecos , Livoniam infestantes, decernitur. Quando etiam cum ingenti Rex solennitate aureo donatus vellere , ipsius inscribitur Ordini. Porrò in absentia Gubernatoris , quidam optimatum ab illo prius nominati , principio anni ad limitaneum cum Danis colloquium ex condicto habendum profecti , veterem de tribus coronis quæstionem ventilarunt ; Sed adversariis transactionem allegantibus , quæ inter Regem Sigismundum & Christianum , esset non ita pridem de isto controversiæ negotio sancita , & illam deserere prorsus recusantibus , licet ea multis subverteretur argumentis , & hujusmodi præcipuo , quod non liceret Regi Sigismundo , sine Ordinum consensu , tantam concedere causæ prorogationem , quæ anno MDXCVII. fuisset decidenda , tandem ita convenitur utrinque , ut per sequens biennium ea conquiesceret actio.

Interea verò temporis , Princeps Carolus , Polonus ad concordiam cum Suecis ineundam compulsurus , ut illam commodius posteà litem cum Danis transigeret , victor Livoniam oberrat , & cognoscens thori consortem puerperio vicinam , remeat festinus Revaliam , ubi filius illius Celsitudini nascitur secundus , inter XXII. & XXIII. Aprilis diem , circa XII. noctis horam , nomine Carolus Philippus in baptismo nuncupatus. Cæterum hujus patuelis Gustavus Ericius , cum Mosco haec tenus familiariter conversatus , multam illius clementiam & benevolentiam experitur ; Sed tanta advenæ fortuna non fuit diuturnior. Nam die quodam Gustavus à Boritio , secretam animi molitionem prodente , admonitus , ut desertâ fide Catholica , cum baptismo susciperet Ruthenicam , & à Suecis , Polonisque posceret Finlandiam ac Livoniam , ceu provincias suas hereditarias , quod recusaret , & potius se mori malle asseveraret , & si obtemperasset , filiam esset habiturus Ducis Axiniam , & simul novi auxilio socii paternis ditionibus restituendus , cæpit deinceps odio haberi. Propterea cum Gustavus redditum flagitaret , ad salvumque conductum sibi à Principe datum , provocaret identidem , nec admonitioni saepius inculcatæ ulla tenus se accommodaret , Moscus illud publicæ fidei diploma tali quidem dolo recuperare decrevit.

Muneribus permovit Gustavi Secretarium , Jacobum Schult Regiomontanum , ut nomine Domini fingeret literas ad Henricum Flogel , quibus moneretur ad mittendum Gustavo illas tabulas. Nec fraus successu caruit ; Siquidem cum ea missus epistola Rigam Livo quidam , Hen-

Henricus Yxcul, obtentum ibi diploma, Boritio restituerit. Alias etiam idem confinxit literas sub nomine ac sigillo Gustavi fraudulenter accepto, ad Finlandos, quibus admonebantur subjectionis, Regi quondam Erico præstite, & impellebantur, ut deserto propterea Carolo, filium susciperent Erici, Gustavum, armis Mosci promovendum. Cum istis autem expeditus quidam Otto, Viburgum pervenit solum, ibique passus repulsam, cursum reflectit. Verum hujus illiusque dolii Gustavus omnino ignarus, parat abitum, & ideo non sine Ducis licentiâ, suum præmittit aulæ magistrum Christopherum Cator, qui non ulterius quam Plescoviam progressus, illic non sine veneni suspicione, moritur, & quas secum Gustavi opes, literasque variis scriptas attulisset, ad Boritium remittuntur. Tantam proinde Mosci perfidiam Gustavus magnoperè detestans, de illa coram Caspero Fidlero Principis medico quæritur, isque non tantum Duci quærimoniam retulit, sed insuper calumniam addens, asserit Gustavum flammis Mosquæ subditis, fugam meditari. Quamobrem Boritius illi gravius multò indignatus, omnibus spoliat bonis, & custodiæ mancipat, in qua miseram annis aliquot vitam deinceps Gustavus egerat; Nec tamen voto tyranni ulla ex parte voluit obsecundari.

Ast præsenti anno Gustavi patruus, sub Rigam castra movit, quem Rex Sigismundus inde, simulque tota ex Livonia pulsurus, comparato secundum statuti Varsoviensis tenorem, exercitu, æstatis tempore Vilnam cum illo properat, & hinc Rigam versus festinat. Carolus autem suis diffisus agminibus, regredi potius quam congregandi maluit. Quocirca Sueticis in Livonia Estoniaque firmatis præsidio arcibus, contendit Revaliam, & hinc initio brumæ cum uxore, liberisque per Finlandiam, Ostrobothniac Vestrobothniac, inusitato sane Principibus itinere, in Sueciam revertitur. Rex Sigismundus etiam abitu illius cognito, Vilnam regreditur, & miles progrediens, non paucas recuperat in Livonia munitiones, quas inter fuit Kachenhusium, in quo naturalis Suecici Gubernatoris filius Carolus Carlsonius, hoc exeunte, vel sequenti anno ineunte, & Jacobus Pontus, capti, Vilnae Regi fistuntur, ac inde ad carceres in Poloniā expediuntur. In quorum ille permanit squalore annis XIII. Sed hic licet Regi Sigismundo militari detrectaret, post modicum tamen temporis fuit ex illis liberatus.

Anno M DC II. Poloni victoriam prosequentes, nostris Huitensteinum eripiunt, & Rex Sigismundus adhuc Vilnae constitutus, XXV. Februarii, ad Danum inde perscribens, de suorum in Livonia successu, ut nimium exultat, ita Suecis insultat, & præcipue Duci Carolo, quem non paucis onerat criminibus. Quando etiam confirmat transactionem, ratione trium coronarum cum Christiano ante triennium institutam, quod eam intelligeret à Patruo in controversiam vocari. Sed XVI. Maji die, Revalienses propter defectionem compellans literis, longè vehementius in patrum invehitur Rex Sigismundus. Quod modò ignorans Princeps, Regni Ordines congregat Stocholmiae, initio æstatis, & cum ipsis quædam ponderat Reipublicæ negotia; De quibus illi XVII. Junii suam proferunt sententiam, tali compræhensam tenore: *In primis* etenim memorant, cum tempus Duci Uladislao præfixum effluxisset dudum, nec advenisset, quod sceptrum Regni Carolo Princi iterum offerrent, tamen illud recusans affirmavit, adhuc semel candidato deferendum Duci Uladislao, & nisi ante Calendas Augusti, Sueonum se ac-

commodaret voluntati; alterum huic sponsæ sponsum esse providendum. *Secundo*, interea spopondit se ita patriæ dominaturum, ut coram Deo & toto mundo securus vellet respondere, invigilando præcipue religio-nis conservationi, prout ea Upsaliæ fuisset abhinc decennio approbata & renovata. *Tertio*, cum in eodem statutum concilio, ut ordinantia & Agenda Ecclesiæ Suecanæ, prodirent emendatores, propterea Ordines decernunt, ut istud mandaretur negotium doctioribus Regni presbyte-ris, cum nulla verbi Divini, Augustanæ Confessionis & Sacramentorum corruptela consummandum. *Quartò*, dum ex Polonia responsum expe-ctaretur, liceret interea Gubernatori, quam vellet pro Regni emolu-mento expeditionem suscipere, ita tamen ut non diutius abesset quam trimestri temporis spacio; Et si quid contigeret humanitus illius Cel-situdini, successorem haberet in statuto nominatum Lincopensi. *Quinto*, novus Regni Senatus eligitur, in quem adoptantur, Mauritius & Ma-gnus Comites, Suanto Bielke, Cancellarii; Axelius Ryning, Admirali; Sivardus Ribbing Thesaurarii, muneribus fruituri; & his assessuri Ge-orgius Ericius, Ludbertus Caverus, Georgius Clausonius, Ericus Rib-bing, Georgius Boye, Matthias Laurentius & Arvidus Horn. Cæterum aulæ Consiliarii nominantur; Comes Abrahamus, Nicolaus Bielke, Pe-trus Ryning, Johannes Ericius & Boëtius Ribbing; & Nicolaus Chæsne-copherus, aulæ Cancellarius. *Sexto* statuitur, ut codex legum Suetica-rum emendatus, sicut & sacer bibliorum, publicarentur. *Septimò*, se nova devinciunt obligatione, copulationeque ad ferenda Gubernatori subsidia, in hostium quoslibet promptissima & liberalissima.

Post triduum vero Dux literis agit cum Rege Sigismundo, ipsum seriò admonens, ut filium huc mitteret, & se resloveret ante Calendas Au-gusti, sibique persuaderet nisi toties admonitus, obtemperaret, sceptrum alteri tradendum, qui non illud foret recusaturus. Exprobrat deinde Carolus illi, epistolas Regi Danorum & Revaliensibus missas, quas si-mul confutat. Sed aliud non venit ex Polonia responsum, nisi quod Carolus Carlsonius, ex carcere scripserit Gubernatori, Polonus expe-tere colloquium Suecorum. Hinc igitur Dux persuasus, XXI. Decem-bris expedit Axeliū Kurchium & Henricum Horn in Livoniam cum plena ibi potestate agendi, & inducias solum usque veris initium con-cedendi. Verum nemo hostium comparuit, & cum ipsos nostri æquo diutius expectassent, inde revertuntur. Cæterum in præfatis Regni co-mitiis, existimo M. Olauum Nycopiæ parochum, & Martini Gestricii quon-dam Episcopi Lincopensis filium, Archipræsulem Sueciæ designatum & posteā inauguratum fuisse, M. Abrahamo in vinculis adhuc constituto.

Anno M DC III. Cum tempus appropinquaret colloquio deputa-tum inter Suecos & Danos frequentando, confluunt partes juxta limi-tes Regnorum, XIX. Februarii, & postquam nostri cum illis diu essent altercati, de violata Sueonum jurisdictione in Lapponia; Sonnenburgum Livoniæ, Regno Suecico ursissent restituendum, & Danis ab usu trium coronarum esse desistendum luculenter ostendiffident, denique partium con-sensu decernitur, ut hujusmodi controversiæ secundum Stetinensem trans-actionem, externorum arbitrio Principum subjicerentur, decidenda. Quæ tamen actio postmodum fuit tam diu prorogata, donec anno MDCX. in apertum erumperet bellum. Colloquio autem durante, cir-ca limitem præfato, Gubernator non imparatus forsan ad arma Cal-marniæ dedit, ut propinquior suis adesset Commissariis, si consilio vel au-xilio illis in re aliqua indigerent. Qui non minus de controversia solli-citus,

citus, cum Rege Sigismundo transigenda, ipsam cum Gothis ibi ponderebat, coram quibus prolixam habuit orationem Johannes Schytius, totam repetens à fundamento causam, & Regem graviter impetens, ob non servata Ordinib[us] paecta conventa, simulque ostendens, ipsum propterea, non alienâ sed propriâ culpâ, suo ad Sueciæ thronum jure omni excidisse. Aderat etiam cum aliis Vestrogothorum isti conventui Georgius Poss[us], non itâ pridem vinculis liberatus, qui Henricum Finne Regis Sigismundi cubicularium, reliquo Domino in Sueciam advenisse subaudiens, & metuens nè se proderet, qui partes adhuc tenerent Regias, quorum ipse esset unus, cum fratribus, agnatis & cognatis, in Daniam inde profugit; Quos emissaria Principis cohors, nequicquam insequitur, & usque Christianopolim persequitur, ubi refugium captarunt, & nomine Regis, Dano amici, libenter impetrarunt.

Anno M DC IV. Georgius Possius Cracoviam profectus, à Rege Sigismundo multâ suscipitur clementiâ, quo cum usque ad mortem permansit, & interea varios suggesterit illi modos Sueciam recuperandi. Horum verò potissimum nunc videbatur, ut Demetrius Regio promotus auxilio ad sceptrum Moscoviae, ferret vicissim illius Majestati opem, in subjuganda in primis Finlandia, Estoniaque, & hinc postmodum ipsa commodius Suecia impugnaretur ac recuperaretur. Sed inchoatam de Demetrio narrationem paulò altius exordiar: Qui postquam in cœnobio, velut supra memoravimus, adolevisset, instinctu tñoris, Godonovidum execrantis, se contulit ad aulam in primis Palatini Chiovieñis, & deinde Palatinum accedens Poloniæ Sandomiriensem, confidentius suam ipsi detegit conditionem; petit consilium & auxilium, spondens inter alia matrimonium Palatini filiæ, si futuri ope socii dominum occuparet paternum. Tantum itaque generum ille libenter amplexus, suis ipsum agnatis & cognatis, præcipueque Regi commendat Sigismundō, ceu operâ illius non parum indigenti contra Suecos rebiles. Propterea ejus Majestati acceptissimus mox evadens, principio hujus anni Cracoviam pompâ haud modicâ perducitur; ubi mandato Regis à Senatu Regni curiosè lustratus, eas in corpore notas ostendit, quas master non itâ pridem de hac re consulta, vero Demetrio tribuisset. Ideo que citra dubium pro filio Johannis Basili & fratre Theodori aestimatus, honoratusque, hujusmodi cum Polonis init paectum, ut ipsorum subisdio imperium naëtus Moscoviticum, Catholicam in eo fidem suscep- ret; Smolensciam Lithuaniae restitueret; perpetuam cum Regio Poloniæ amicitiam foveret; Regiam contra Suecos causam omni conatu promoveret, & cum Palatini filiâ matrimonium contraheret promissum.

Cæterum Sueones personatum fuisse Demetrium asseverant, & sacerdotis, non Johannis Basili filium, Giescham Otrepiam nomine appellatum, in quodamque cœnobio Russiæ in primis educatum, & postea fuisse ad alterum Chioviae, à cuius Abbe propter singularem esset indolem commendatus regionis Palatino. In hujus porro aula militaribus fuisse disciplinis excellenter imbutum, & demum se contulisse ad Palatum Sandomiriensem, qui cum Demetrio ipsum occiso simillimum esse intelligeret, & Boritio Polonorū hosti propterea commode objiciendum censeret, ita cum advena, velut prius narratum, transegisse. Verum ut se res ista habet, Demetrius multa pugnatorum millia, simulque bellum nervum, præfatis in Polonia conditionibus adeptus, Russiam impugnat. Quibus Regis Sigismundi molitionibus, aliisque intra & extra Sueciæ Regnum hoc tempore palam & clam ferventibus, Dux Carolus aliquantulum percussus, ad VI. Februarii diem, Ordines Norcopiæ convocat;

In quorum frequentia, machinationes detegens, tam periculoſo Gubernatoris officio cupit liberari, & Suecis Gothisque proponit, ut cum Rege Sigismundo toties repudiato, in gratiam redirent, vel Johannem ipsius fratrem, pro Rege fusciperent, patrui ope non destituendum. Sed illo prorsus rejeſto, huic quasdam Ordines proponunt conditiones, & pariter Dux Carolus, Regiam concernentes dignitatem. Quibus candidatus VI. Martii, habita coram Patruo & nonnullis Ordinum Suecicâ oratione, respondens, seque resolvens, primò illius Celsitudini singulares agit gratias, ob plurima ſibi beneficia hactenus exhibita, quorum non eſſet poſtremum, quod in Pontificia non foret educatus religione; Deinde cum præſens Regni status, virum, non puerum requireret moderatorem, & propterea in prioribus Regni conventibus, gubernaculum patriæ eſſet ipsius Celsitudini ſæpius præſentatum, orat obnixè, ut illud tandem fusciperet, nec diutiū conſensum, cum multo Regni detrimento ſuspenderet, ſpondens in gratiam patriæ, Patrui & patroni, ſe libenter jure ſuo paratum cedere, ac renovatæ ſubſcribere ſucceſſioni hæreditariae; Sicut etiam à morte patrii, fideliter affiſſere ejus uxori & liberis, donec horum natu major poſſet Regnum ipſem admiſſare; Ideoque non diffidens, quia potiretur Ducatu Lincopiæ affiſgnato, & priſtina illius Celsitudinis benevolentiā ſemper gavisurus.

Quæ competitoris declaratio & resignatio non ingrata fuit Ordinibus, has propter causas potius Ducem Carolum defiderantibus Regem; Nempè quod is optimè censeretur de patria meritus, & ſceptrum ideò Regni promeritus; Quod unicus Gustavi Regis ſuperstes eſſet filius; Quod tantæ Regem prudentiæ afflictus patriæ status, poſceret; Quod feliciter ipſi cederent quælibet negotia; Quod denique ſubverendum eſſet, nè Princeps Johannes ſceptro potitus, à fratre ſeduceretur, & posteriora Regni mala fierent ità prioribus deteriora. Conclusum proindè fuit XXII. Martii, ut Dux Carolus, translato ſucceſſionis jure propter cauſas proximè prolatas à Johannis progenie, Regium Sueciæ axioma caperetur, & poſt iſum primogenitus Gustavus, hujusque deinceps ſoboles maſcula; Sed iſpa deficiente vel non existente, ſecundogenitus, Carolus Philippus velut prior ſuccederet, illum ſervando identidem ordinem, qui præſcriberetur in tabulis anni MD XLIV. hæreditariae ſucceſſionis inter Caroli liberos & nepotes, qui eſſet Aroſiæ Gustavi Regis præfixus filiis: Sin autem nullus de progenie extaret Carolina, tum Johanni & hujus progeniei, aditus eodem pateret modo ad thronum Sueciæ. Secundò, constituitur, ut huic quomodolibet adverſantes decreto, velut perduelles mulctarentur, uxoresque & liberi qui ſceleris eſſent conciſi. Verum si parentes proderent, ſpeciali gratia, vita, bonisque gavisuri forent paternis. Tertiò, nè illorum liberi qui Lincopiæ eſſent judicati, paterni flagitiī & exitii forſitan oblii, ſimile quid molirentur, utque quotidianum haberent memoriae bolum, decernitur, quod non forent promovendi ad honoratiora Regni officia & beneficia, niſi quodam ſpeciali fidelitatis obſequio eſſent ità promeriti; Sicut neque ullis gavisuri titulis, quos parentibus Ericus vel Johannes Reges contuliffent. Quartò, licet profugi Regi Sigismundo adhærentes, Linco-pensi non obtemperaffent citationi, tamen concluditur, ut denuò citarentur, & niſi comparerent, poſteā depræhensi mulctarentur; Qui etiam gratia ſtudiorum vel alterius acquirendæ experientiæ degerent extra patriam, ut domum quantocius reverſi, cautionem fidelitatis novo præſtarent Regi, & quo liberet poſteā diſcederent; Quod ſi recuſaverint, aliis adnumerarentur profugis, & pleſterentur. Quintò, pro-

belli continuatione contra Regem Sigismundum, qui pacem æquis facere conditionibus recusaret, IX spondent Ordines millia pugnatorum extraordinarie per triennium se procuraturos, & salario ipsis numeraturos; Imò & diutius, & donec hostis tam contumax, honestæ consentiret transactioni, nullis viris, viribus & opibus se parsuros. *Sexto*, si contingenteret Duci Johanni casu præfato ad thronum successio, tum sanè inviolabiliter se obligaret, quod omnem respueret cum Rege Sigismundo & hujus progenie amicitiam; Interim verò ille posterique Ducatu Ostrogothiæ fruerentur. *Septimo*, cæteris Regum filiis, Ducatus etiàm, & filiabus dotes, in Gustaviano deputatae testamento, assignarentur. *Octavo*, Regia progenies mascula deficiens, fæminea superstite interpolaretur, ita ut senior filiarum Sueciæ thronum obtineret, & non alium quam Augustanæ Confessionis virum Principem alienigenam, & præsertim ex illis Ducum Germanorum familiis, quæ suam traherent originem maternam ex filiabus Regis Gustavi. *Nono*, nec Rex alterius duceret religionis conjugem, quam Evangelicæ; multo minus aliud ipse met dogma suscipere, ut neque Sueonum ullus, alias bonis privatus, ad hæredes devolvendis, regno pelleretur. *Decimo*, si quis Principum hæreditariorum externo esset Regno potitus, ad Sueticum non admittetur. Nec Regi liceret aliud suscipere, nisi continuò vellet in isto residere. Hæc primariò Norcopiæ sunt conclusa.

Porrò novus Sueciæ Rex Regni statibus manifestaturus, quantas Catholici hæc tenus struxissent insidias, non huic solum Patriæ, sed etiàm Daniæ ac Norvegiæ libellum cuiusdam Jonæ Meldorpensis, Dithmersi, quo illorum machinationes detergentur, Suetice operâ Johannis Buræi translatum, curat publicandum. Nihilominus illorum unus nomine Laurentius Norvegus, cuius priori Tomo crebram fecimus mentionem, pristinas non intermittens hujusmodi molitiones, Scondiæ ad Ecclesiam denuo Catholicae adducendæ, librum quoque promulgat, Christiano Daniæ Regi dedicatum, & hoc titulo prænotatum : *Confessio Christiana de via Domini, quam populus Christianus in Dania, Suecia & Norvegia plus quam DC annis confessus est.*

Cæterum Carolus Rex armis simul tales oppressurus machinationes, & Huitensteinum præcipue recuperaturus, istud impugnat, minus tamen feliciter, cum tria Sueonum millia ibi prostrata fuerint, XXI vexilla & VII tormenta bellica ipsis ablata. Nec minori contra Boritum successu hæc tenus usus fuit Demetrius. Nam ingressus Russiam, graves publicat de adversario querelas, quomodo videlicet insidias sibi struxisset; has qualiter evasisset; ad hancque fortunam pervenisset, simul Ruthenos adhortans, ut tyranno tam impio deserto, se tanquam legitimum susciperent Moscoviae Dominum & hæredem. Hinc igitur persuasi, turmatim ad Demetrium plurimi deficiunt, quos ideo Godonovius XXIX Decembris aggressus, profligatur. Interim conspiratio, quam Johannes Johannius cum Suecis habuit exilibus, de prodenda Regi Sigismundo Finlandiæ, Carolo Regi detegitur; Qui propterea dum fugæ se accingeret, captus, Stockholmiam perducitur, & ibi quæstionibus subiectus, factum confitetur.

Annus M.DC.V. non parum fuit tumultuosus & periculosus, idque propter nimiam suspicionum pestem, quæ ob cladem nostris sub Huitensteinio nuper inflictam, tantum cepit incrementi, ut etiam primarios Regni quosdam inficeret & conficeret; Quorum unus extitit Arvidus Ericius, qui non ita pridem vinculis absolutus, & gratiæ militarique

officio restitutus, quod colludere iterum cum hostibus, ac infortunio Huitensteinensi causam ita præbuuisse diceretur, in carcerem reconditur, & licet gravissimè esset tortus, tamèn factionem inficereretur. Sed Johannes Johannius crimen fassus, XXXI. Januarii morti adjudicatur, quam postea subiit. Pridie vero configens iterum Boritus in Russia cum Demetrio, victoriam obrinet, æmulo in captis arcibus refugium habente, & in iis tantisper delitescente, donec ex Poloniâ subsidium nanciseretur. Cæterum XXIV. Januarii Dux Johannes Stocholmiæ Sueonum, à Carolo Rege patruo toga virili & armis donatus, lautissimum exhibit illius Majestati convivium. Atqui Boritus Moscovia Princeps, cum isto & priori anno apud Cæsarem Christianum ac Regem Daniæ, aliosque amicorum questus esset de Polonis, supposititum Russiæ Demetrium intrudere machinantibus, nihilque consolationis inde consequeretur, sicut etiam illum dominio Moscovia potitum non obscurè prospiceret, veneno, prout ferunt, sibi mortem consivit, quam obiit XXIX. die Aprilis, filium relinquens Fiedronem, quem plurimi Rutenorū suscipiunt Dominum, & reliqui Demetrium, hique à Polonis confortati prævalent. Sibi proinde metuentes adversarii, ex consilio Basili Suschi, qui ab ipsis consultus, respondit legitimū esse Demetrium, hujus quoque partibus se adjungunt, præter Mosquæ incolas, qui aliis diutius cum Fiedrone perstiterunt, & tandem quoque defecerunt.

Porrò Sigismundus Poloniæ Rex tranquillum habens Regni dominium, de secundis cœpit nuptiis cogitare, & sororem demortuæ conjugis, nomine Constantiam amare. Sed Clemens VIII. Pontifex Romanus tali abnuit consensum matrimonio, quem tamèn postea, sponsi precibus nimium fatigatus, indulxit. Quā Rex Sigismundus licentiā non mediocriter exhilaratus hoc Anno Legatos in Stiriam expedit, sponsam Caroli Archiducis filiam adducturos. Verum Rex Carolus alias sponso & fautoribus in Sueciâ destinans nuptias, comitia indicit Stocholmiæ, XXVI. Aprilis inchoata; In quibus decernitur cladis vindicatio Huitensteinensis, & acerrimæ Livoniæ imputatio. Quando pariter judicio præsentati, qui factionis essent Polonicæ suspecti, magnopere accusantur, & in primis Arvidius Ericius XXX. Aprilis à Rege ipsomet incusatus perduellionis, & damnatus, ad supplicium deinceps producitur, ac nihilominus incolumis reducitur, custodiæque traditur, in quā senio & morbis confectus, post annos non paucos demoritur. Prætereà inter reos conventos fuit Christiernus Clausonius Baro ab Aminne, qui etiàm tribunali sistebatur præfato Stocholmiæ, & initio rem quam avunculus impetrat sententiam; Is fuit Högenschildius Bielke, qui propriis coniunctis literis, morte dignus censebatur. Quā filia sceleris Ebba conscientia, evasit quidem, non custodiā & bonorum confiscationem, cum illa diu admodum fuerit detenta.

Sed aliter multandus Johannes Johannius, XXIX. Maij membris dissectus in rotas agitur, & caput juxta portam urbis australē in pertica exponitur. Post sextum deinceps diem, nempē III. Junii, Högenschildus cum podagrā laboraret, in forum deportatus primarium, & celso impositus tabulato, decollatur, caputque crati ferreæ insertum, supra eandem collocatur portam spectandum; Ast reliquum corpus sine pompā funebri, sepulchro traditur in Ecclesiâ insulari. Comitiis autem finitis, Rex Carolus sedulam dat operam exercitui comparando, qui prius etiàm alia pacis media obtinendæ haud negligens, miserat præcedenti anno, quendam Petrum Ericium, Petrosam quoque & Romanoviti-

novitium subinde vocatum, ad Rodolphum Cæsarem, huic persuasurum, ut sequestrem agere non gravaretur, in transfigenda lite Sueo-Polonica. Verum Legatus fidei, ut fertur, oblitus præstitæ suo Domino, cæpit cum Rege Sigismundo colludere, Pragâque ideo Cracoviam Poloniae digressus, quædam cum illo concludere. Quandò suæ molitioni porrò Laurentius Norvegus satisfactus, & patriam, simulque Daniam, Catholicæ Ecclesiæ reconciliatus, impetratis Regis Sigismundi literis commendatitiis, cum duobus Jesuitarum aliis, Hafniam navigat, & Regem Christianum, libello & literis ipsi traditis, de catholica religione suscipienda intrepide compellat. Danus itaque ex consilio Senatus cum Professoribus & Regni Doctoribus, illum committit; Qui ab advenis in Academia provocati ad religionis certamen, id recusarunt, affirmantes, sibi nullum esse dubium in fidei negotio Evangelicæ, ac Regem simul obsecrantes, ut Laurentium, qui gravissimas olim turbas in Suecana movisset Ecclesiâ, Regno quantocius cedere juberet. Hinc Rex Christianus, non difficulter persuasus, Patres Societatis Jesu remittit in Prussiam, nec gravius quidquam in eos committit, ceu literis commendatos Regis Sigismundi; Qui suspendium alioqui non evasiscent. Vindictæ tamen cupidus, ipsam exerit in quoslibet Danorum residuos Catholicæ addictos religioni, Regno illos exturbans, quos interfuit Johannes Hagæus, Ludirector Malmogiensis. Quod ipsum deinceps quoque factum in Norvegia, & regio simul cautum edicto fuit utrobique, nè imposterum Dani, vel Norvegi, suos præsumerent liberos ad Jesuiticas mittere Academias, literis imbuendos, quo magnus esset factus ex Scandia concursus hactenus, indeque scripserint ante quinquennium professoribus Hafnienibus, ipsimet ex Dania & Norvegia studiosi, rationum documenta proferentes, quibus moti, dogma suscepissent Catholicum, quæ si solide refutarent, Evangelicorum se denuo fidem amplexuros profiterentur.

Verum isto currente anno, M. Jacobus Schroterus Præpositus in Borussia Gustadiensis, quandam pro Jesuitis publicavit apologiam, contra inventivam M. Matthiae Lundensis Episcopi orationem. Gladio autem non calamo belligerans in Russia Demetrius, æmulis prævaluit, & propterea cum triumpho XVIII. Maji civitatem fuit ingressus Moscovensem, ubi XXI. Julii multa solennitate inaugurarabatur. Cæterum Gustavus Ericius prioribus annis à Boritio misitus Uglitum, XXIII. distans Mosquâ milliaribus, in eo captivus adhuc detinebatur, qui mortuo illo liberatus, Mosquæ novum convenit Ducem Russiæ Demetrium, à quo repræhensus conspirationis cum Boritio, contra Regem Sigismundum initæ, nimis audacter se defendit, & contendit, plus se injuria rum sustinuisse quam intulisse. Quâ dicendi offensus libertate Demetrius, illum expedit Jaroslovam in vinculis detinendum. Interēa Rex Carolus bello accinctus, Stochomiâ cum lectissimo & copiosissimo milite, indigena simul & alienigena, solvit IV. Augusti, delatusque in Livonię, in primis sub Rigam properat; Cujus dum parat impugnationem, intelligit exercitum hostilem minus numerosum paucis inde milliariis distare. Quocirca decernens principio ipsum esse profligandum, & nocte proxima licet magnas suas in eum copias duxisset, nihilominus superatur. Quippe miles nocturna profectione esset admodum fatigatus, & simul, equi lutosum iter sub maximis emensi pluviis, omni belli apparatu cum vestitu hominum, imbribus madente, conspecto propè Kercholmiam cum Polonis Cotchevitio, jussus in hostem sine N respi-

respiratione improvide contemptum ruere, vix primum sustinuit congressum; Ita Principe Curlandico, cum aliquot turmis equitum insperatis, in subsidium Polonis adveniente, major Sueonum pars fuerat cæsa, vel in captivitatem abducta, & cæteri cum Rege Carolo, difficulter ad classem evaserunt. Deinde hostis imbellem aggressus turbam, copiosum cecidit fœminarum agmen, seu scortorum militarium, & opima collegit spolia, mortuisque justa persolvit. Porro in acie ex Sueonum exercitu oceubuerunt primarii, Dux Lunenburgensis, & Andreas Lindersonius Equitum Magister prætorianorum, illisque Rigam deportatis, fuit magnificè ab hostibus parentatum. Sed interim Rex Carolus Revaliam digressus, cum summo animi dolore sub initium brumæ, in Sueciam indè remeavit.

Quo tempore nec Petrus Romanovitus cum benigno admodum responso huc ex Bohemia rediit, quem alii duo studiosi, religione Catholici, & natione Sueci, videlicet M. Laurentius Borlangius, & M. Carolus Nicolaius, ex pacto mox subsequentes, primo ipsum factionis suspectum reddiderunt. Quibus cum iussus aliquod in Academia Upsalensi specimen ingenii edere, in ea comparuit, & mediocri declarato, cum illis Stockholmiam reversus est; Ubi à quodam proditus mercatore, proprio servitore, confitentibus eum in Polonia fuisse, traditur ipsemet, comitesque custodiae. Hactenus verò Rex Sigismundus de Kercholmensi factus victoriâ certior, Cotchevitio secundum deum gratulatur, & non minus sponsæ adventu recreatur, qua cum ultimis anni mensibus, sacra matrimonii consummavit.

Anno MDC VI. Varsaviæ Ordines Poloniæ congregati, eas propter nuptias velut minus licitas, aliisque de causis, contra Regem Sigismundum insurgunt. Qui per sequens ideo biennium in maximo versabatur periculo, sceptrum quoque Polonicum amittendi. Nec Regi Carolo, ista displicuit seditio Polonica, qui etiam literis crebro hortatus est rebelles ad pristinæ defensionem libertatis. Plus tamen de Sueciæ commodo sollicitus, Oerebrogiaæ cum Regni Ordinibus, mense Martio habuit colloquium, in quo Kercholensem magnopere cladem deploravit, & nihilominus animum non despondens, consilio Statuum, XV. Martii, scripsit Polonis, ut æquis secum paciscerentur conditionibus, vel alias simul hostes illis non difficulter objecturus, intelligens Turcam & Tartaros. Suspectus autem factionis Polonicæ, Petrus Romanovitus, & Laurentius, Carolusque, gravissimè fuerunt hactenus in equuleo torti; Sed ille potissimum convictus literis publicæ fidei, quas à Rege Sigismundo accepisset, coram Ordinibus Oerebrogiaæ, horrendo fuit supplicio affeetus; Qui ante mortem se catholicum esse palam contestatus, pro sui dogmatis assertione, tantas produxit rationes, ut Doctor Johannes Raumannus, postridiè illas pro concione refutare cogeretur. Cæterum Laurentius & Carolus, ad locum supplicii cum Romanovito fuerant producti, & inde ad pristinum reducti carcerem, usque Regis mortem in vinculis perseverarunt, ille quidem Griphisholmiæ ac Nycopiæ; hic autem in castro Kastelholmensi Alandiæ, ubi cecidit in mentis alienationem, vix unquam illius compos evasurus.

In eodem conventu Oerebrogensi, non multum absimili fuit periculo expositus Jacobus de la Gardie, nuper ex Polonica reversus captivitate; Nam si non ille Sueticus, Ericus Georgius, quod absenti Jacobo & fratri præsenti, graves attulisset injurias, subveritus, né ad aliquam in Regno dignitatem promotus, illas acerbius vindicaret, ipsum calumniis statuit obruere, & aditum honoris obstruere, hoc quidem figmento: Secretas nactus Regis aures, appositè ad veritatem suggestit, quod Jacobo ma-

machinante, pactum esset hujusmodi sancitum, ut Mauritius ille Hollando-rum archistrategus, ductâ in matrimonium Anna Regis Sigismundi sorore, auxilio Belgarum impugnaret Sueciam, & Polono subjugaret, proptereaque Jacobum, non Carolum Carlsonum, vinculis liberatum Polonicis, ut reversus in patriam, optimates Regni præcipuos ad eandem pertraheret ligam; Imò consultare in propinqua urbi villa, modò cum non paucis nobilium virorum. Itaque seria rei habetur protinus inquisitio, & licet nè umbra quidem conspirationis appareret, tamen Jacobus, XII. fidejussoribus datis, cautionem fidelitatis præstare cogebatur; sic verum esse illud Comici experiens: *Calumniare audacter, aliquid semper hæret!*

Comitiis præterea Oerebrogenibus Princeps Johannes collationem obtinuit Ducatus Ostrogothici, pro se ac hæredibus, ità quod thronum Sueciæ, non nisi casu illo, quem Norcopensis exprimeret constitutio, esset affectaturus. Quoniam verò Ericus Pampineus, illius Celsitudini à secretis, de hujusmodi commutatione, minus consideratè ac moderate loqueretur, bienni fuit carceri à Rege mancipatus; Quem interea Nicolaus Kesnecopherus, non paucis simul calumniis oneravit, illi offensus, quod opus, causas repudiati à Suecis Regis Sigismundi continens, demonstraret inscitè ac imperitè nimium à Nicolao, mille propterea thaleris donato, esse compilatum. Porrò Demetrius pæcti non immemor cum Palatino Sandomiriensium contracti, magnificâ in Poloniā missâ Legatione filiam ipsius postulat conjugem, & consensum impetrat, cum adductaque virgine Mosquam, quâ par fuit solennitate VII. Maji nuptias celebravit in præsentia non procerum modò Ruthenicorum, sed etiam Legati Polonici Alexandri Corvini, à Rege Sigismundo cum CCC. equitibus ornatissimè instructis, illuc transmissi. Quando fidum Demetrius sibi Marschalcum Russiæ, Basiliū Michaëlovitium, fore confidens, suum ipsi consilium pandit, de fidei Ruthenicae cum Catholica commutatione facienda, & perpetua cum Regno Poloniæ modò confœderatione pangenda, Sueciæque in gratiam Regis Sigismundi impugnatione. Simulat ille horum omnium callidè assensum, & mox revelat Michaeli Suschio, aliisque optimatibus Ruthenicis talia secreta Principis; Qui aëtutum in necem Demetrii conspirarunt, & XVII. Maji eam perpetrarunt. Verum Poloni afferunt clam Demetrium effugisse, & bellum denuò Moscis intulisse.

Quod ego dubium linquens indefinitum, ad seditionem redeo præfatam, in qua omnes peregrini partim cæsi, partim capti fuerunt, & Suschius Russiæ dominium adeptus, uxorem Demetrii cum primariis Polonorū, captivam expedivit Jaroslavam, indeque liberatum Gustavum Ericum, misit ad oppidum Cassinense, ubi reliquum vitæ paulò commodius transegit. Interim nullo, vel non satis propenso, Rex Carolus accepto ex Polonia responso, prædictum arripit consilium de Turca, Polonis simul hoste objiciendo, & propterea hoc in negotio missi Henricus Franchelinus ac Stephanus Lemnius, pergunt Ludosiam, ut ibi navim concenderent. Sed cum æquo diutius illic viaticum expetassent, quòd Rex tragædiam subaudiens Moscoviticam, consultius duceret, Suschium in belli societatem pertrahere, Stockholmiam revocantur, & Lemnius in Russiam cum literis alegatur. Nec hujus minus cupidus fœderis Suschius, Demetrii fautores & horum auxiliatores formidans Polonus, de illo prius scripserat Regi Carolo, qui literas natus, Lemnio revocato, ità se Mosco declarat, copias auxiliares po-

scenti , & Kexholmiam in pignus solutionis offerenti , ut generosus & bellicosus heros Jacobus de la Gardie , cum aliquot millibus pugnatorum sit illuc transmissus ; Qui auspicio Regis Suetici , multis annis Mosco insignem contra Polonos operam navavit , velut sequens narrat Historiæ contextus .

Anno M DC VII currente , M. Abrahamus quondam Sueciæ Archiepiscopus , postquam carceris squalores novennio pertulisset , demum Grifhisholmiæ , finem ærumnoso vitæ curriculo imposuit , in proxima sepultus Ecclesia , quod ipsi tumulum Upsaliæ Magistratus negaret . Feretur autem postremis vitæ annis tanta laborasse phthiriasi , ut à pediculis nulla ipsum mundities præservare potuerit ; Cujus morbi causam non nulli allegant naturalem , quod videlicet tantoperè delectaretur carne suilla , ut unam quotidie pernam , non ex prandio vel cœna reservatam hesterna , quia talem ex mensa in pavimentum indignabundus projiceret , sed eodem die elixatam suis adhiberet alimentis , cuius esu nimio illa generarentur nimium animalcula . Quidam verò adserunt supernaturalem , in hoc discrepantes , quod horum alii ob rebellionem Johanni vel Sigismundo patriæ motam regibus ab illo ; alii propter inhumanam nimis Ecclesiæ Suecanæ visitationem , anno MD XCVI. institutam . Cæteri autem propter cœnobii Vastenensis desolationem , & Catholicæ simul alibi extirpationem religionis in Gothicō , Sueticoque Regnis , ab eo procuratas , talem ipsi pœnam contigisse opinentur . Quorum ego conjecturas Divinæ committo bilanci ponderandas .

Cæterum anni præsentis initio , nimirum XXII. Februarii die , Gustavum Ericum mors præmatura , veneno forsitan potionatum , Casfini abripuit , quem Martinus Behr , Evangelicorum in Russia concionator , in propinquo urbi betuleto , minus decenter humavit , cum ipsius sepulturæ Dux Suschius LXX. thaleros contulisset . Fuit porrò Gustavus religione catholicus , mediocri prædictus eruditione , ac præcipue in arte chimica medicaque versatus , callens præter Latinam , quoque linguam Italicam , Gallicam , Germanicam , Polonicam , Ruthenicam , & minus Sueticam , quod rarò esset cum patriotis conversatus , & in pueritia Sueciam deseruisset ; Plus tamen inde laudandus , quod pietatis , sobrietatis , castitatis & veritatis fuerit amator singularis , frequens , ardensque in orationibus quotidianis , jejuniis , & pauperibus sublevandis , quibus manu propria eleemosynas impertiverit , tantaque fuerit plenus commiseratione , ut nè passeris quidem , multò minus hominis , intueri potuerit internacionem . Hincque plus æquo fuerit pusilanimis , quæ submissio mentis , non rarò illius posuit fortunæ obstaculum .

Verum patruus Gustavi Rex Carolus , tantum habens animositas , quantum nemo fratum habuerit , quod Rex Sigismundus bello esset domestico & Moscovitico distentus , ipsum non magis sibi timendum censuit , nec solennia inaugurationis diutius esse differenda . Itaque omnibus huic necessariis festivitatí comparatis , convocati propterea Ordines , mense martio , confluunt Upsaliæ .

Inprimis Clerus ibi molestatus in negotio religionis aliquantulum mutandæ , ad Upsalense provocat concilium , & propterea ipsi cum adversariis vehementior concertatio suboritur , conantibus illam Synodum nomine & autoritate , legitimi concilii privare , tali quidem intentione , ut facti victores , suas facilius promoverent molitiones . His autem Professores Upsalenses , se animosius , quam reliquus clerus opposuerunt , & ideo Academiæ privilegia , quæ prius ipsi Rex Carolus donasset ,

set, amiserunt; Enimverò Ericus Georgius, antagonistarum fermè capitaneus, M. Eliæ Universitatis Rectori, fraudulenter persuasit, ut illorum traderet autographa, quòd ea vellet Regia Majestas post coronationem, multò liberalius confirmare. Sed neque nova neque vetera vidi amplius Rector ille simplex privilegia. Secundum religionis velitationem à Calvini fautoribus frustrà suscepitam, Regis maturatur inauguratio, & prius diadema iterum Principi Johanni, solenniter à patruo delatum, quod constanter ille recusavit. Quocirca XV. Martii die illucescente, illud Rex Carolus acceptavit, aliudque simul conjunx Christina. Post triduum verò, nimirum XVIII. Martii, causæ Ordinibus præleguntur, quas propter Sigismundus Rex cum progenie universa, throno esset Suetico privatus, & idem novo Regi hujusque sibi collatus.

Sed postridiè coronationis, Rex Carolus easdem suis complexus literis, ipsas Polonorum Senatui transmisit, & huic pariter insinuavit, quòd Regni Suetici modò suscepisset insignia, illum admonens simul pacis ineundæ. Præfatas quoque rationes Nicolaus Kesnecopherus, libro copiosius tractatas, ex prelo Typographico deinceps promulgavit; quæ moles indigesta, cum Regi Carolo plurimum displiceret, sub suam incudem opus impolitum revocavit, & limavit, quod tandem anno MDCIX. Sueticè, ac sequenti Latinè, multò absolutius prodiit in publicum.

Cæterum XVI. Aprilis Upsaliâ Stockholmiam reversus, V. Maji, & XXVI. Augusti, denuò cum Polonis agit per literas, de controversiarum transactione, & nihilominus haud negligendam ratus occasionem Livoniæ subjugandæ, civili bello Polonia flagrante, interea per suum exercitum, quem ducebat Joachimus Fridericus, Comes Mansfeldensis, obsedit fortissimam illam Livoniæ munitionem Huitensteinum; Quod hostis principio defendit acerriùm, sed tandem nostros invalescere, mænia sternere, & per horum ruinas parare incursionem, conspiciens; sicut etiam nulla expectans à Rege suo, sat bellis domi occupato, subsidia, oppidum & castrum dedidit, cum armis bonisque securus abiit. Is autem reversus in patriam, cognoscit Regem Sigismundum, partâ propè Varsaviam insigni victoriâ, rebelles sub obedientiam compulisse; Maturandam ideo Livoniæ subactionem rati Sueones, Huitensteinio sub Derpatum vietria proferunt signa, quod binis impugnant castris. Sed inde Mansfeldius cum nonnulla exercitus parte sub Volmariam secessit, re tamen infecta, illinc postmodum discessit. Interēa nostrorum paucitatem & securitatem, obseSSI ex profugo scorto intelligentes, factâ per urbis posticum excursione in castra, quibus præfuit Jesperus Matthiæ, tantam edunt nostrorum stragem, ut tribunus cum paucis admodum evaserit ad proximam sociorum stationem, unde propter distantiam nullum obtinuisset subsidium.

Fortunatius igitur in Moscovia belligerarunt isto & sequenti anno Sueones, ubi ductum sequentes Jacobi Ponti ac Edvardi Horn, Polonis & horum sectatoribus Ruthenis insignes eripuerunt munitiones, plus quam X. numero, & obseSSum ab hostibus Suschium, potenter liberarunt. Porrò aliis simul domi negotiis intentus Rex Carolus, in boreali Finlandia castrum fundavit limitaneum Caianaburgense; Quandò etiam in occiduis Regni oris, nempè in Vestrogothiæ insula, Hisingensi, Elsburgo prorsus opposita, eximium inchoavit emporium, quod Hollandis assignavit inhabitandum, à censu per annos XX. immunitatem habituris pendendo, liberâ gavisuris toto regno, citra ve-

Etigalium solutionem, negotiatione; Et tantâ religionis libertate frui-  
turis, ut Calvinistis, Lutheranis & Mennistis, fidei exercitia ibi per-  
mitterentur. Verum in Livoniam denuò excurramus, ubi comes  
Mansfeldius passim grassatus, cognitâ Sueonum clade sub Derpato nu-  
per acceptâ, illuc quantocius reducit exercitum, & brumæ initio totum  
in hyberna residuum perducit Revaliam.

Anno M DC VIII. Rex Sueonum Carolus, Polonus quòd à Mo-  
scu nunc gravius impugnarentur, nec domestica fruerentur adhuc con-  
cordia, modo propterea ratus ad pacis actionem perpetuae, vel indu-  
ciarum sanctionem prolixiorum, esse propensiores, XXIII. Januarii, A-  
rosiâ, VII. Aprilis, Oerebrogiâ, & V. Maij die, Stocholmiâ, illis per li-  
teras significavit, quòd ut causam non præbuisset huic bello nimium  
cruento, ità non alienus esset ab honesta ejusdem transactione, pacem  
cum adversariis stabilem, vel XII. annorum, non breviores, paratus  
indicias ratificare, simulque captivos permutare; proinde super utro-  
que se quantocius resloverent, & loca his oportuna conventibus, sug-  
gererent. Interim Mansfeldius in hosticū ex hyberna regressus sta-  
tione, Felinum destruit expugnatum, & tamen incertum quo percul-  
sus metu, agit cum Johanne Carolo Cotchevitio, belli Archistratego  
Livonici, de induciis usque finem Octobris bona fide protrahendis, &  
consensum obtinet non Cotchevitii tantum, sed Regis etiam Sigismundi.  
Imò in conventu Cracoviensi, à Poloniæ Ordinibus simul appro-  
batæ fuerunt, qui hactenus quoque ternas Regis Caroli literas naeti,  
de prolixioribus induciis, vel pace sancienda stabili, captivisque com-  
mutandis, XXI. Maij consentiunt voto nostro, & Commissarios no-  
minant in Livonia de transactione, ast in Pomerania de captivorum  
permutatione, nobiscum aëtuos, literis hoc de negotio in Sueciam  
expeditis.

Verùm Rex Carolus de induciis non factus certior, quas Mans-  
feldius cum Johanne Cotchevitio fecisset, sicut etiam ignorans, Polo-  
nos consensisse transactioni, suo mandat in Livonia exercitui, victo-  
riam prosequi & hostem persequi. Quapropter Mansfeldius multo ante  
finem induciarum, sub Rigeni Dynamunda castra metatur, & Rex  
Sueonum pluribus ipsum copiis indigere cognoscens, non paucas eò  
cohortes transmisit, harumque auxilio ille fatus, Dynamundenses com-  
pulit ad castri proditionem. Sed priusquam ista susciperetur expeditio,  
quiescentibus in Livonia paulisper armis, Cotchevitius II. Julii Sueo-  
nibus perscripsit, se, collegasque plenam adeptos potestatem in comi-  
tiis Cracoviensibus, pacis tractationem suscipiendi; Et propterea  
quantocius advolarent nostri, actionemque secum inchoarent. Cæte-  
rum Ordines Sueciæ neutras adhuc consecuti, XVIII. Julii, cum Polo-  
nis de tanto expostulant silentio, quibus simul exprobrant, quod Prin-  
cipi Carolo, Regium non tribuerent Sueciæ titulum, ast Regi Sigis-  
mundo, licet ut hic meritissimo jure ipsum amisisset; sic ille obtinuisset  
eum. Deinde Polonus incusant, hujus velut authores belli, & transactio-  
nem, captivorumque offerunt permutationem.

Post aliquot verò dies Rex Sueciæ, Ordinesque, Polonorum ac-  
ceperunt literas, ideoque sine mora protinus XXV. Julii rescriptentes,  
tractationi consenserunt, captivorumque permutationi; Quas jussus mit-  
tere hostibus literas, Andreas Laurentius, Revaliensis Castellanus, ad  
præsidem ipsas expedivit mox Derpatensem, & is Cotchevitio illas ob-  
tulit. Has autem Commissarii Sueonum, Magnus Brahe, Comes à Vi-  
sings-

singsburg, Regni Marschallus, Nicolaus Bielke, Baro à Salestad, Petrus Kenitius Scarensis, Laurentius Paulinus Stregnensis Episcopi; Philippus Scheding Narvensis, & Otto Mærner Abogenis, Castellani, Revaliam versus subsequuntur. Porro Colbergam Pomeraniæ cum captivis fuit Olaus Strale ablegatus. Alius verò conventus Vismariæ inter Suecos & Danos fuit approbatus, ad quem idcirco, præter alias, fuerunt missi, Doctor Nicolaus Chesnecopherus, aulæ Sueticæ Cancellarius; Ericus Georgius, Stocholmensis Vice-Castellanus, ac Ericus Elavius, Regis Secretarius; Qui dum æquo diutius Calmarniæ commissarentur & helluantur, Dani condicto tempore comparentes Vismariæ, Suecos frustrè expectant, & proinde testimonio præsentia accepto, remeant; quò nostri postea venientes, ventis culpam suæ imputant absentiæ, & Calmarniam redeunt. Verum Dani non ita placati, arma parant.

Interea temporis Mansfeldius Dynamundâ potitus, Kochenhusium expugnavit, & Cotchevitius in Livoniam adveniens, Mansfeldium perfidiae incusat, & omittâ pacis actione, arma quoque comparat. Itaque nostri Commissarii XVI. Septembris die, Revaliam ingressi, postridie illum frustrè tractationis admonuerunt. Hactenus etiam Ordines Poloniæ Sueorum consecuti literas, XVIII. Julii conscriptas, VI. Septembris respondent, se nullum agnoscere legitimum Sueciæ Regem, nisi Regem Sigismundum, sicut neque causam se ullam huic bello dedisse, ait Suecos, & utrumque probare nituntur. Postea nostris objiciunt, quod tempore induciarum, Dynamundam & Kochenhusium occupassent, ac ita transactioni posuissent obstaculum; Nihilominus verò captivorum non refragari se permutationi. Hasque Ordines Sueciæ diluerunt literas XVII. Octobris die. Nam tota cum Rege Sigismundo tragœdia breviter repetitâ, demonstrant Regi Sigismundo legitimè sceptrum esse ablatum, & Regi Carolo collatum, primamque bello causam Polonos præbuuisse, in Sueciam cum exercitu Regem adducendo; Ac nihilominus à transactione & captivorum permutatione, se nequaquam abhorre, modo idem esset animus Polonis, nec sanguinis Christiani diutius profundendi cupidus.

Neutra tamen processit; Siquidem quoad hanc, primarii captivorum sine permutatione, dolo quodam evaserint Colbergâ in Poloniæ; Illa etiam speratum non obtinuit finem, cum ex castris ad novam Molam Cotchevitius, VII. Octobris, tandem nostris Commissariis rescripsit, se propter induciarum factam à Mansfeldio transgressionem, & Dynamundæ, Kochenhusique occupationem minus honestam, alienum prorsus animum à transactionis habere negotio; Quem tamen esset mutaturus, si arces restituerentur, & in proximis Ordinum Polonicorum comitiis, novam ita facultatem agendi cum Suecis impetraturus, alias perfidiam Mansfeldii, dedecus in Ungaria nuper acceptum, ea conantis modò abolere, armis vindicaturus. Nostri autem X. Octobris confutauunt Revaliæ literas hujusmodi Cotchevitianas, & probarunt sine consensu Regis & Ordinum Suecorum, illas esse inducias, si tamen aliquæ essent sanctæ, constitutas; Atque si vera objiceret, Joachimi Mansfeldii ostenderet super induciis literas, vel nugis omissis, ad tractationem procederet. Sed nullo dignatus est nostros responso, & propterea cum Revaliæ plus quam bimestri temporis spacio tractationem frustrè expectassent, demum XIII. Novembris follenniter de contumacia protestantur adversariorum, & suæ probata causæ non parum æquitate, & illorum enervata, domum se conferunt. Noster verò exercitus in Li-

vonia remansit, & classis Suetica commeatum Rigenibus prohibitura, in ostio Dynæ fluminis consistit infesta. Quocirca hostis eam inde profigaturus, aliquot cymbas, vel liburnas, igne flagrantes, in illam secundo immittit fluvio, à quibus classi nostræ non modica fuit clades illata, & pars navium cum hominibus misero admodum spectaculo cremata.

Hoc item anno visa quædam Danis prodigia, velut Steno Maltesonius, Bohusensis Castellanus ad parochum scripsisset Malmogensem M. Johannem, non obscure illud prænunciabant bellum, quod MDC X. inter illos & Suecos fuit inchoatum; Quippe in Dania passim conspectæ in inferiore regione aeris, armatæ acies, & pulvis tormentarius, pilæque, multis locis plumbeæ cœlitùs ceciderunt. Porrò in Suecia hoc tempore aliud contigit portentum, minus tamen admirabile; Cecilia Comes ab Haga, suo præmia facellano, & scribæ, proponens non contemenda, mandat ut fontem illum Suinegardiaæ famosum, saxis obruerent prægrandibus obstruerentque. Nec segnes ipsi exequentes jussa, mox furore corripiuntur, & nunquam mentis integratati restituuntur; Verum fons postridie saxorum congerie ita purgatus inveniebatur, ut multo lympidiores ostenderet aquas spectatoribus. Qui etiam sæpius simile passus detrimentum, non aliud toties, quoties temerariis liquit hominibus experimentum, taleque miraculum an Deo, vel Diabolo sit imputandum, meæ imbecillitas mentis assequi nequit.

Cæterum Stocholmiæ mense Octobri celebravit Rex Carolus nuptias Margaretæ, Christpheræ, Magnipolensem Principe, ac Elisabethâ, Regis Gustavi filia genitæ, Duci Megapolensem suo agnato modò copulatæ; Secundum quas inde Rex Upsaliæ secessit, ubi illius Majestas insigne beneficium studiosæ juventuti exhibitura, XXX. personis, ex ipsa liberalissimum in singulos menses deputavit salariū, istorumque juvenum plerique, tantâ Regis munificentâ adjuti, posteà in viros evaserunt doctissimos & utrique utilissimos Reipublicæ. Prætereà morante illius Majestate Upsaliæ circa diem Martini, fuit in Gymnasio sollenniter discussa quæstio illa subtilis, de hominis justificatione, inter Lutheranos & Calvinianos, horumque partes tuebatur Johannes Forbetius, Scotus, vir doctissimus simul & humanissimus. Sed illorum propugnavit causam, M. Olaus Regni Archiepiscopus, Professoribus Academiæ in subsidium vocatis; Illi autem id plurimum decerpfit, quod assereret, ens peccatum esse, cum istud esset privatio, ex omnium sententia rectè philosophantium.

Palmam verò quis illorum reportaverit, non discerno, cum non sit meum agere Palæmonem; hoc tamen ingenuè fateor, quod M. Olaus hujusmodi & aliis Calvinistarum in patria molitionibus, non raro tentatis, se, nullo personarum habito respectu, identidem acerrime opposuerit. Enimvero inter alias, prodiit hoc, vel anno superiori, Catechismus Sueticè Heidelbergensis, omnes continens & defendens fidei articulos Calvinianæ, quem Archiepiscopus edito mox libello confutavit; Cumque deinceps ipsi responsum esset, novo scripto nova refellit paradoxa, sic ora obstruens adversariis. Porrò XX. Decembris Rex Carolus suo diplomate, quod impresso nunc legum codici Sueticarum est præfixum, jus Regni Ecclesiasticum, quo patria multis usq; seculis, quod Catholicorum dogmatibus passim oppido patrocinaretur, abrogavit & antiquavit.

Anno MDCIX. Rex Sigismundus pacatâ jam fruens Poloniâ, omnes suas vires in Suecos Livoniâ pellendos, & Moscos Demetrio facto, seu vero, morigeros armis reddendos, convertit. Ac propterea secundo per

per mortem sublato Demetrio , tertium, ut nostri scribunt , eo quidem consilio subrogavit , ut auxilio clientis , ad Moscoviae dominium sua ope promoti , Sueciam deinceps recuperaret ; vel ipsemet Russiae hoc pacto nactus imperium Polonicis & Ruthenicis armis , voti compos præfati redderetur. Nec hujus ignarus molitionis Rex Carolus , promptissimum fert Suschio subsidium , ita conatibus obviaturus Regis Sigismundi , & non modicam Russiae portionem , loco præmii vel salarii fortassis habiturus. Quocirca Mosci de suo Polonos & Suecos corio lude re , non difficulter animadvertisunt , illosque potius sibi formidandos existimarent , & ideo Suschii regimen , velut Sueco adhærentis , ac patriam milite peregrino nimium gravantis , detestantes , Principem mox captivatum trudunt in cœnobium ; Ex quo fuit postea eductus , & in Poloniā deductus est. Interim hujus factionis Mosci , Legatis ad Regem Sigismundum expeditis , filio ipsius Duci Uladislao imperium Russiae obtulerunt. Quod ipsius Majestas non recusandum , filium tamen illuc non modò transmittendum censuit , sed prius totam occupaturus & pacaturus Russiam , istud commendat negotium ductori exercitus illic Polonici , vel alteri suorum Procerum. Inprimis autem Poloni Mosquam caput Russiae adepti , à sectatoribus traditam , in ea se firmarunt ; nec multo post tempore incolas jugi pertæsos Polonici , rebus novis studere comperiunt , ideoque civitatem opulentissimam prius direptam , incendunt , & in castro se contra hostes defendunt , prout anno sequenti commemorandum est.

Cæterum quoad Livoniam , nec in ea magis hoc anno feriatus est , quam in Russia Rex Sigismundus. In illa siquidem aliquot recuperavit munitiones , quarum una fuit Parnavia , quam Daniel von Wochen fertur prodidisse , isque propterea captus , deinceps promeritas luit pœnas proditionis. Nam primò equis in diversa tendentibus Stocholmiæ dilacerandus alligatur , & tamen integer permanens , veete quassatur , demumque capite obtruncatus ac membratim dissectus , corvis exponitur dilaniandus. Tot itaque bellis Rex Carolus distentus , nimirum in Livonia & Moscovia , novumque ex Dania subveritus , gravibus propterea curis angebatur. Porrò animum Dani primò exploraturus , VII. Aprilis , Elsburgo literis ad ipsum datis , inculcat controversiarum decisionem , ad Flachesiöbechium ante sexennium propositarum , & nec Wismariæ anno priori compositarum. Sed pridiè M. Olaus Regni Archipræful , Upsaliæ in fata concessit ultima , & ipsi postea successit Petrus Kenitius Scarenensis. Utriusque verò antagonistæ Johannes Forbe cius , propter tumultus periculum , regno cedere cogebatur , quem cleris invectivis laceravit continuis , & præsertim Stocholmensis , ubi frequentius commorabatur ; nec Regia ipsum defendere potuit autho ritas , quâ fretus huc accessisset & aliquandiu hic mansisset. Interea nullum , vel non satis amicum Rex Carolus ex Dania nactus responsum , sicut etiam Moscoviae ac Livoniæ statu provocatus , aliaque propter negotia Regni cum Ordinibus deliberanda , impulsus , ipsos hâc Stocholmiæ convocat æstate.

In horum conventu prælegitur codex legum Sueticarum à Rege & Collegis renovatus , nec parum locupletatus , qui propter nonnulla huic Regno tolerabilia minus statuta , tamen utilia , si æquo pondera rentur momento , quorum erat unum , ut filii Nobilium , tantam non impendentes operam artibus liberalibus , quantam patriæ utilitas requiri ret , libertate , hæreditateque privarentur , non fuit approbatus ; Nec

alius suscepimus, quem juxta Norcopense decretum, hactenus quidam patrii juris peritiores, revidissent & modestius auxissent. In iisdem simul comitiis, causa potissimum ventilatur Moscovitica, Livonica, & Danica, cumque Regia Majestas plus subsidii à Nobilium Ordine in hostes flagitaret, nec pro votis, necessitateque illud impetraret, XI. Augusti die, ipsum propterea compellavit acerbius. Quando brevi facta tragœdiae anacephaleosi, cum Rege Sigismundo hactenus actæ, ex variis probavit documentis palam recitatis, se non tantum propter suam, quantum patriæ utilitatem & salutem, in istam cum Rege Poloniæ controversiam incidisse; Quamobrem se non immerito indignari, quod necessario Statuum defraudaretur subsidio. Ita male contentus abiit, & nocte sequenti morbum contraxit, hemiplexiæ non dissimilem, qui loquelæ ac rationis usui, per vitæ reliquum, magno fuit impedimento, & maximo toti patriæ detrimento, velut sequens testabitur historia. Priusquam vero in eam inciderat infirmitatem, lentam quidem lethiferam, oratorem suscepit Regis Britannici, amicitia quadam sibi peculiariter devincti; Verum quibus de causis ille advenerit, mihi nondum innotuit. Hoc tamen plus quam volo exploratum habeo, quod infirmitate Regis durante status Regni visus sit nutare, totusque ad ruinam spectare, quem filius actuum humeros submittens, à lapsu conservavit.

Anno M DC X. cœpit ille veteris discordiæ torris, qui non paucis hactenus annis multâ contectus favillâ, delituisset, inter Suecos & Danos ignescere. Nam Rex Daniæ Christianus, non ignorans diuturnis Sueciam bellis quodammmodo fatigatam, & iisdem solito gravius nunc in Moscovia & Livonia esse occupatam, licet ab anno M DC III. quando conventus ad limitem Flachesiöbecensis foret habitus, usque præsentem crebris esset literis Sueonum admonitus, ut juxta Stetinensem transactiōnem, liti daret operam componendæ, quæ ipsi nobiscum intercederet, quod ternas auri coronas, peculiaria Sueciæ insignia usurparet; nimium sibi arrogaret in Lapponia dominii; Sonnenburgum Livoniæ violenter retineret, ad Suecos potiori spectans jure, & eosdem in suis portubus plus æquo oneraret; Tamen iustitiæ convenienter satisfacere tergiversabatur. Immò propter easdem causas, sicut etiam, quod Regem Sueciæ morbidum intelligeret, commodam sibi ratus occasionem oblatam, non modo non querelis Sueonum satisfaciendi, sed ipsosmet simul ad priscam cum Danis & Norvegis unionem redigendi, ac suo illos dominio subjiciendi, quemadmodum sparsæ anno sequenti literæ palam testabantur, sub quarundam prætextu causarum, occœpit bellum Suecis moliri.

Hujusmodi proinde machinationibus, Senatus Regni noster tempestivè obviandum sentiens, II. Februarii, cum Gustavo Adolpho Regis filio Danum amicis hortatur literis, ut principales inter Regna controversias legitimis tandem arbitris, subjici decidendas pateretur. Verum ille suo cum nostro huc tabellario viciissim expedito, novas quasdam Regi Sueonum movet controversias, cum ipso magnopere expostulans, quod Laponiæ titulo, plus ad Norvegiā, quam Sueciam pertinentis, se ornaret; ibidem extrueret castrum, in maximum Regni Norvegici præjudicium; Civitatem fundaret in Vestrogothia, cum Danici Regni detimento, Gothenburgensem; & ita concederet in dominio alterius privilegia, nec Danis nec Norvegis toleranda; Denique quod Balticum infestaret mare suis navibus, & non rarò admonitus haud desisteret, ita non parum damni adferens simul Danis, Oceanum gratiâ mercimonii navigantibus; Plus tamen aliis nationibus detimenti, quas vectigalib[us] in fre-

fretō solutis Oeresundino, mare sine hujusmodi infestationis periculo fas esset velificare.

His autem Rex Sueonum responsum gravaminibus, exemplō misit in Daniam Nicolaum Chesnecopherum, aulæ suæ Cancellarium, qui ad Regis Christiani non permisus colloquium, viros ex Suecia nobiles, non istum sacerdotis ex Nericiâ filium, hinc legatos desiderantis, negotio infecto, domum inde festinavit. Nec quicquam responsi etiam bini postea successivè in Daniam ablegati tabelliones, retulerunt. Interea porrò Danus classe instructâ, onerarias mercatorum occidentalium naves, binis vicibus Rigam, & ad alios hostium nostrorum portus, dicit & reducit per Oceanum à periculo securas. Cæterum Sueciæ Rex, nè bello propterea occasio daretur, ex mari suam revocat classem, Admiraliūque Georgium Gyllensternum, & cum octo solum navigiis jussus oberrare pelagus Balticum Jacobus Båt/obvios habuit Danos, quos frustra monuit, nè contra decretum Stetinense, comœatum hostibus Regni Suetici hoc modo procurarent, vel ità bellis occasionem darent. Quando etiam ipsemet Daniæ Rex, hujus rei admonitus à Senatu Sueonum per literas, contempnit, & impressis mandatis per Sueciam promulgatis, se incolis non modice insinuat; sua gravamina exaggerat, & Regi Carolo odium conflat. Qui contra tales Danorum insidias, amicitiam sibi necessariam magnopere Principum externorum considerans, eam cum Jacobo Britonum Rege in primis, porrò contrahendam censuit; Quò proindè Gustavum Stenboch à Torpa Baronem, & Johannem Schytium destinavit, habentes simul in mandatis, ut filiam Angli poscerent Regio filio uxorem; Quam dubio procul. nurum obtinuisse, nisi forsan Palatino promissa fuisset. Ità quidem affinitate frustratus Britannicâ Rex Sueonum, tamen promissum super amicitia obtinuit. Enimverò Rex Jacobus Legatos insigniter donatos remittens, se accingit Sueco & Dano reconciliandis, idque ut commodius præstaret, Legatos habuit proprios utrobique; Hic quidem Jacobum Spencium; Ibi verò alium, quorum singulari operâ haud parum adminiculante, post biennale deinceps bellum, pax denuo inter Suecos & Danos coiit, velut alibi commemorandum.

Verùm inter Lutheranos in Suecia & Calvinistas nulla potuit concordiæ ratio inveniri faniendæ; Nam licet Johannes Forbecius huc revocatus, non segnem isti negotio impenderit operam, tamen hanc & oleum perdidit. Mecum quidem in primis, deinde cum Doctore Johanne Raumanno Stocholmensium parocho, fuit congressus. Sed cum nullös labor proferret fructus, & concionatores nimium insurgerent Evangelici, solum denuo vertit, nec amplius huc revertit. Calvinistæ autem remanentes, non omnino rebus suis diffisi, temporis progressu promovendis, Psalmos Davidis, Lobvasserianos Sueticè translatos, per quendam Torstenium Regis musicum, prelo subjiciunt typographicò, ea quidem spe, quod in Ecclesia Sueonum essent postmodum catillandi. Nec minor cæpit hoc anno controversia, inter me in Academia Upsalensi & collegas meos flagrare, qui tantum lucrati, quantum de Evangelicis in Suecia Calvinistæ, velut annus M DC XVI. narrabit copiosius.

Cæterum Rex Carolus bellum continuaturus Livonicum, & amissa recuperaturus, illuc Petrum Nicolaium, ex Secretariis primarium, cum non contemnendo misit exercitu, qui fortunæ & hominum invidia quorundam impeditus, speratis frustrabatur successibus, & Revaliæ à mundana vocatus militia, demoriebatur, vir sanè longiori dignissimus

vitâ, propter multas animi, corporisque dotes; Funus verò inde translatum, in cœmiterio sepeliebatur Vastenensi.

Interea Rex Sueonum potius jure quam armis, cum Dano cupiens decertare, XXV. Augosti, operâ Senatus monet ipsum, ut ex præscripto transactionis Stetinensis omnem cum Suecis litem decidere non gravaretur, sex viris prudentibus ex nostris, & totidem ex suis, ad Regnorum limites intra bimestre convenientibus, ac istam legitime controversiam transfigentibus. Qui solum respondit, Suecum continuo statutum crepare Stetinianum, & sub tali prætextu illius executionem, & motæ litis prorogare satisfactionem. Sed omisit Danus suam exprimere simul molitionem, quâ, ut duobus molossis, de offe concertantibus, tertius interveniens, istud non raro soleret arripere; Ita ille cum Rege Sigismundo & Carolo, de sceptro Sueonium corrixantibus, procedere machinaretur. Nec porrò noster in Russia exercitus prosperis gaudet modo successibus; Etenim XXIV. Junii, cum dominus Jacobus de la Gardie Polonus esset aggressurus, suo Principi Uladislao Moscoviam subjugare sedulò conantes, non pauca militis externi ab hostibus forsan seducti millia, pansi vexillis, ad castra profugerunt inimica. Ideoque dominus Jacobus, omisso prælio, cum residuis, qui non plures quam CCC. fuerunt, Novogardiam versus profugere compellitur, mox etiam Regi Carolo perscribens, ipsi quo statu res esset Moscovitica, significat, & alias copias flagitat. Quando & submetuens, nè diploma transactionis inter Regiam Sueciæ Majestatem & Suschium initæ, in potestatem veniret hostium, tradidit illud tabellariis huc perferendum. Sed Rutheni consilia Sueonum explorare meditantes, sub Noteburgo tabelliones & Sueonum quoslibet interceperunt, ac detinuerunt cum bonis omnibus.

Novogardenses quoque rerum studiosi novarum, cognito Sueonum nupero sub Mosqua infortunio, per nuncium Jacobo missum obviam, nostros prohibent accessu. Nihilominus ille dispersis ex fuga Suecis ad se confluentibus undequaque, magis confortatus, Novogardiam accedit, & non intromissus, incolas perfidiæ ac ingratitudinis erga Sueciam accusat; promissam à Suschio Kexholmiam Regi Carolo postulat, sicut & reliquum salarii, liberationemque tabellariorum à Noteburgensibus captivatorum, instinctu Novogardenium inhumanissimo. Atqui cum dolis secum agi liquido conspiceret per Lavillam, tribunorum militarium unum, Ladugam pignoris loco occupat, & altero sub Kexholmiam manipulo equitum ablegato, ipsam ad obsequium Regis Suetici frustrà sollicitat; Ipsemet vero Novogardiæ aliquantis per cum paucis remanens, primarios urbis ad colloquium evocatos, propterea detinet, ut horum permutatione tabellarios & tabulas, à Noteburgensibus recuperaret. Ideoque Noteburgum mox profectus, inhabitatores ad commutationem sollicitat, & ab ipsis varie delusus, Viburgum in hyberna tantisper secedere, dum novas ex Suecia obtineret suppétias, constituit. Nam hactenus Rex Carolus, statu Russiæ intellecto, sub initium brumæ insignes destinavit copias in Finlandiam, suis in Russia subisdium laturas quantocius. Præterea cum Danus nec dum se resolvisset cathegoricè, quid Suecis ab ipso foret expectandum, X. Decembris, iterum Rex Carolus & Senatus Regi Christiano & hujus Consiliariis, eadem inculcarunt negotia, simulque cum his expostularunt, ob missa ad Ordines Sueciæ quædam impressa nuper diplomata, cum adhuc Rex Carolus viveret, & ipso mortuo, tres essent Principes Sueciæ hæreditarii super-

perstites, quorum uni sceptrum foret porrigidum, non exterio Regi prodendum.

Anno MDCXI. Jacobus de la Gardie, copias ex Suecia militares consecutus postulatas, & simul mandatum ut sedulo exploraret, quem Mosci Ducem vellent designare, amicum vel inimicum Regi Carolo? Nostris primò Kexholmiam obsidentibus, submittit auxilium. Cum reliquo deinde ipsemet pergit exercitu in Russiam, & intelligens quædam hostium agmina tendere Kexholmensibus in subsidium, suo ipsa occursu cogit abcedere. Eadem non ita pridem nobis Ladugam extorserunt à Capitaneo Lavilla deditam, & tali Campiductor nuncio percussus, susceptam illuc profectionem tantisper suspendit, donec Noteburgum tentasset; Quo frustrè oppugnato cum magna suorum clade discedit. Nec fortunatorem habuit successum postea Samuel Cobron sub Ladugam, cum mille bellatoribus expeditus. Illud autem XII. Februarii, & hæc VIII. Martii, à Suecis impugnantur. Sed nostri magis secundo usi marte, sub Kexholmia interim facta incursione ipsam occuparunt. Veris igitur principio, Jacobus cum integro progreditur exercitu Novogardiam versus, & cum appropinquaret, præmisso ad urbem Samuele Cobron cum equitibus quingentis, mandat ut super his se quæstionibus resolvarent quantocius. Cum deponerent Suschium, quem sibi vellent Ducem eligere? amicum vel inimicum Regno Sueciæ? An pactis cum priori sancitis, essent parati subscribere? Kexholmiam Regi Carolo permittere? Captos Noteburgi tabellarios remittere, & salarii residuum Sueciaco militi solvere? Sicut etiam num vellent exercitum Sueciæ amicum in vicinia castrametantem intromittere? Cumque responsum dare cathegoricum tergiversarentur Novogardenses, castra nostri sub ipsam promovent civitatem. Quocircà inhabitatores consternati, XXII. Aprilis, serio mandant Noteburgenibus, interceptorum restitutionem. Quoad reliquos vero articulos, de ipsis per sequens trimestre cum adversariis multisfariam differuerunt, nunc approbando, nunc improbando; Quam propterea moram necunt, ut quem Polonorum in Russia molitio consequeretur successum, interim explorarent.

Primi etiam hujus anni mensibus Rex Danorum à Rege Suecum crebris admonitus literis, ut controversiam ex præscripto decreti Stetinenis transigendam consentiret, nec se resloveret. Suspectam porro habens fortassis amicitiam Angli, licet sororius esset, cum Sueco initam, Jacobum Spencium, illius in Suecia Legatum continuum, hinc veris initio per Daniam in negotio pacis Britanniam versus festinantem male tractavit; Is etenim rebus spoliatus & servitoribus, quorum unus trucidatus, & IV. vulnerati fuerunt, Danorum in collimino excubantium manus ipsemet vivus difficulter evasit. De qua proinde violentia Legato irrogata, qui securus jure gentium ab ea transire debuisset, Rex Carolus & Senatores Sueciæ, XXVIII. & XXIX. Martii, cum Dano vehementer per literas expostularunt, demonstrantes hujusmodi facta non conformia esse Stetineni pacificationi. Et quanquam Doctor Nicolaus, hujusque achates, Ericus Elavius, Regi conarentur suadere; Danum non adhuc ocreatum, multò minus ad bella esse paratum. Tamen illius Majestas salubriori aliorum consilio, hostem non esse ita contemnendum, sed tempestivè reprimendum monentium inductus, ipsamque simul hostilem Dani animum ex actis præmissis non obscurè colligens, contempto scurrarum suasu, Ordines mense Aprili congregat Oerebrogiaæ. Qui

cognoscentes, quo cardine tota cum Danis controversia voveretur, promptissimum in hostes subfidium, nisi concordiae iterum admoniti, amicæ consentirent transactiōni, illius Majestati promiserunt. Prius autem falso delatus & modò accusatus M. Sigfridus Aronus regni astronomus, quod novæ foret conscius factionis, quam Finones à Rege Sigismundo instigati, moliri perhiberentur, exquisitis fuit modis Oerebrogiæ tortus; Qui posteà merito liberatus in comitiis Nycopensibus, Ericum Georgium, velut primarium & nefarium sui suasorem infortunii, calumniæque authorem incusavit, & hominum illustrium motus intercessione, ipli condonavit.

Quando etiam Sigfridus non modicam suæ calamitatis culpam Nicolao Chesnecophero, & Erico Elavio, qui cum Erico Georgio, dum Rex modò esset infirmus, dominabantur, attribuit, quod sibi forent infensi propter epistolam Calendario præfixam, in qua ipsorum nonnihil taxasset insolentiam & potentiam. Imò Ericus Georgius, ipsimet quandoque Sueonum Reginæ, tantas intulit injurias, ut paternum illi supplicium interminaretur. Verum his omissis portentis, ad comitia revertar Oerebrogensia, in quibus XXIV. Aprilis die, Princeps Gustavus Adolphus à parente arma solenniter, & togam virilem, XVII. ætatis annum nuper ingressus, collata capescit. Cæterum Danus interea bellum moliens, Vandalicis persuadet mercatoribus, ne ipso flagrante, Suecis commeatum apportarent, & tandem illi plenè accinctus, IV. Aprilis, Hafniæ fecialem cum diplomate clarigationis, Sueciam versus ablegat. In eo autem Regi Sueonum denunciat bellum, terrâ, marique, simul nostris inferendum, quod ille Lapponum se scriberet dominum; privilegia concederet in Norvegia; propugnacula in hac construeret; urbes conderet; & mare infestum redderet. Fecialem porro Danus cum bino subsequens exercitu, uno Calmarniam, & altero Elsburgum statuit impugnare.

Itaque famâ hujus expeditionis Rex Sueonum perculsus, soluto convetu, scribit Calendis Majis Regi Christiano, monens ut habito respetu, quod ipsi solum duo forent in orbe terrarum Evangelici Reges, à Pontificiis sat molestati, non bellum inciperet, sed litem jure dirimi sineret. Post triduum quoque idem Dano inculcat, postquam pridiè, scilicet III. Maji fecialem Oerebrogiæ, qui Jenecopiæ fuisset aliquandiu detentus, auscultaslet. Quando hostis sub Calmarniam progressus, parat obsidionem, & hoc ignorans Rex Carolus, misso vicissim faciali, gravioribus de causis Dano bellum indicit, si pacem omnino recusaret, & simul hostiles diluit rationes. Nam V. Maji die, quoad has respondit, se titulo Lapponum legitime usum, cum à sinu Titisfiordensi usque Malanger æquales cum Dano in Lapponia census perciperet, sed à Malanger ad Varanger, duplo maiores. Nec jus sibi vendicasse, aliquod in Norvegia privilegium concedendi; Siquidem Gothenburgum, quod intelligeretur, esset fundatum in fundo Sueciæ non Norvegiæ, & ipsius municipes libertatem obtinuissent in urbibus, portibusque Suecicis ac Gothicis, non Norvegicis vel Danicis negotiandi. Denique non aliis in mari damna intulisse, quam qui hostibus contra edictum, apportassent commeatum, quod jure omnium gentium sibi esset concessum. Quoad illas verò, nempe quod æquiores haberet Suecus, quam Danus, bellandi causas, hinc demonstrabatur, quod Rex Daniæ usum sibi trium coronarum Regno Sueciæ propriarum, jure nullo arrogaret; Quod Sonnenburgum Livoniæ ad Sueciam pertinens, sibi vendicaret; Quod Lappones Sueciæ subditos molesta-

staret; Quod profugos ex Regno Suecico & perduelles contra decretum foveret Stetinense; Quod naves deduceret mercatorum, hosti Sueciæ commeatum advehentes; Quod Sueciæ incolas suis literis, ceu proprios subditos compellaret; Quod Legatum Regis Anglici ex Suecia reducem, inhumanissimè tractasset; Quod demùm prohibuisset negotiatoribus Vandalicis, commeatum in Sueciā apportare. Quocircā tametsi majoris essent istæ causæ momenti, tamen se potius malle pacem quam bellum; Sin autem hostis æqua illius media contumaciter abnueret, propulsando armis tantam injuriam, & regnum subditosque propugnando, se coram Deo ac mundo fore universo excusatum, & profundendi sanguinis Christiani adversarium, justitiæ adeò contrarium, reddere obligatum esse rationem, certò certius confidere, protestatur.

Nec sæpius Dano scribere dignatus, intellectâ Calmarniæ obsidione, abitum maturat Oerebrogia, quando conspicatus novum in cœlo astrum, quid portenderet, consuluit M. Sigfridum, & licet vero consonus non acceperit responsum, tamen sua ipsem præscientiâ, illud fibi mortem denunciare profitebatur; Cujus etiam præscius antea cum Stockholmia priori anno discederet, se non amplius eò venturum, ex quodam ostento vaticinabatur. Equè tamen mortis ac sortis cuiuslibet metuens Rex, VIII. Maji, filio mage oculis dilecto, Gustavo Adolpho cum non modica exercitus parte præmisso, postridie lentius subsequitur. Cæterum X. Maji præfidiarius Calmarniæ miles factâ in hostes excursione, unum abducit captivum. Constatbat autem toto obsidionis tempore præsidium Calmarnense, præter cives, M DC LXXV. pugnatoribus, & machinæ bellicæ, præter ferreas, æneæ fuerant in castro solum CIV. quibus, durante impugnatione, LXXIII. cadi pulvris tormentarii perhibentur absunti. Verum XXIII. Maji Rex Sueciæ conjunctis Jenecopiæ cum filio copiis, festinat Calmarniam versus, hujusque mænia hostis post triduum, CCCLXXVI. globis, vano tamen conatu, diverberavit; Et hac proinde frustratus spe, sequenti die qui fuit XXVII. Maji, muros in diluculo invadit, ac bis fortissimè repulsus, tertią vice potitur vallo & oppido, mille suorum ac quingenitis, quorum erant præcipui, Melchior Rantzovius, Caspar Mynquitius, & Jacobus Bille, desideratis. Quam non moratus cladem, postridie fossis castrum versus ductis, in his tormenta collocat, & arcem solito vehementius impugnat.

Hactenus in Russia Jacobo de la Gardie, variis Novogardenses dolis illudere nequicquam conantur, & tandem confusi, obsecrant serio, ut Mosquam cum exercitu reversus, ferret contra Polonos, arcem defendantis subsidium, & ita Ruthenos victoriâ potitos, fore animatos, unum ex filiis Stieci Regis, sibi Ducem eligere. Unde persuasus, IX. Junii, scripsit his de rebus Mosquam, & licet gratum hinc responsum obtineret, tamen quod Novogardenses iterum vacillarent, ibi remanere consultius duxit. Interim progressus in Gothia Rex Carolus, X. Junii, comilitonem accepit Dicem Johannem, qui patruum festinanter subsecutus, copias ad ipsum auxiliarias dicit non contemendas. Ita cum toto Regni exercitu sub Calmarniam pergitur, hujusque adventu Rex Daniæ, forsitan consternatus, eodem abit ex suis castris die, & vicarium reliquit Lucam Krabbium. XI. Junii, Sueones ad ipsam hostis munitionem, fossa & vallo constantem, & in circuitu urbis objectam, instructis aciebus ac signis late volitantibus, intrepidè accedentes, Danos ad conflictum frustrà provocarunt; Ideoque hostibus insultando &

ovan-

ovando, ad pristinam stationem remeareunt. Postridie reversi, Lucanum Krabbium Regis vicarium cum toto effusum exercitu, ita exceperunt, ut ipse cum DCC. suorum occumberet, & superstitum non pauci, quos inter fuit Johannes Friis, inde captivi abducerentur. Quia de causa, per sequens octiduum Dani cum integro non ausi exercitu prodire, intra munitionem delituerunt, & subinde tantum cohors aliqua peditum erumpens, cum nostris paulisper velitabatur, non pluribus quam X. aut XX. utrinque cadentibus; Sed castrenses in hostem acerrimè identidem fulminando, graviores ipsi clades inflixerunt. Quando & Dani Oelandiam infestantes, non impunè factum tulerunt. Commeatum quoque ipsis ex Dania prohibiturus Rex Sueciæ, terrâ hactenus allatum, ducta per viam munitione, quæ in Blechingiam tenderet, victualia deferentes exclusit.

Nec interea hostis dormitans omnino, ternas grandiores belli machinas, freto cum iis trajecto, in Grimscher eo locat proposito, ut indè castro & classi Sueonum inferret nocumentum. Tantum itaque periculum castrenses tempestivè aversuri, cymbis erumpunt, & Danis profligatis, colubrinas secum in arcem abducunt. Exitum quoque meditans Rex Carolus, propinquo Danorum oppido, prius Avescher, sed modo nomine haud parum arroganti, Christianopolis appellato, quod VII. Calmarniâ distat milliaribus, illuc XXIV. Junii, filium Gustavum cum lectissimis MD. equitibus clam expedivit. Qui civitatem firmo munitam præsidio & præcelsis circundatam mœnibus, noctu inter XXV. & XXVI. Junii diem, animosè aggressus, ipsa beneficio pertardæ portis affixa, ac inflammatae potiebatur; Ubi Danus, velut in penario & armamentario, belli contra Sueones gerendi, multum habuit commeatum reconditum, & necessarium bello apparatum, quem nostri non indè valentes auferre, flammis tradunt absumentum, præter XXVIII. signa legionaria, & opes leviores, nobilioresque tam Regis Danici quam civium, quæ secum indè asportarunt. Prius autem hostes trucidarunt, quorum præcipui fuerant, Claudio Brochenhusen & Joannes Beronius, imbellibus tamen parcentes, ac demum oppido flamas subdiderunt, cumque triumpho redierunt. Quos hostis ex Calmarnia conspicatus, & Christianopolis cladem suspicatus, in eos aliquoties fulminavit, uno solum videlicet Johanne Slattio, inter primos equitante prostrato.

Interim Rex Christianus Calmarniam reversus, contra Sueonum potentiam se nihil omnino effecturum considerat, nisi cæteras sub Elsburgo constitutas advocaret in subsidium copias; Eas igitur missò illuc nuncio, jubet quantocius Calmarniam advolare. Cæterum XXV. Junii die, cuidam hostis sub arce navigio flamas injectit, ut illis simul castrum accenderetur. Quæ tamen à nostris mox extinctæ, Danos spe conceptâ frustrabantur. Ac nè idem denuò attentandi haberent occasionem, XXVII. Junii, subdiderunt flamas ipsimet nostri cunctis navigiis propè castrum constitutis. Porro VIII. Julii, aliis Dani exercitus, nimium hactenus desideratus, quem ducebant Gerhardus Rantzovius & Steno Maltesonius, Calmarniam advenit, quo cum protinus Sueones conflixerunt. Nec minus nostra classis expectata, hosti subsidium prohibitura maritimum, tandem X. Julii fretum ingreditur Calmarnense; Quandò pugnam Dani oblatam detrectarunt, & nihilominus Rex Carolus plures sibi copias animadvertis necessarias, per Jesperum Matthiæ advocavit Vestrogothiscas, domi non utiles, quod hostis Elsburgo migrasset.

Alius

Alius fuit nostrorum status in Russia; Siquidem ibi fraudes Novogardensium multiplices vindicaturi, & ipsos subjugaturi, centum milibus constantes, cum V. solum millibus, XVI. Julii, vastissimam invadunt civitatem, & immensis spoliatam divitiis, capiunt. Incolæ autem & accolæ vitâ donati, Regno Sueciæ spondent subjectionem, unumque ex filiis Caroli Regis Ducem se designaturos, sancte promittunt; Et propterea Jacobum de la Gardie, XVII. Julii cum triumpho in acropolin perducunt. Qui Novogardiâ non contentus, aliquot deinceps propinquas occupat munitiones, nempe Stararussam, & Porco, hisque captis, misit Edvardum Horn cum MD. bellatoribus, tentatum Plescoviam, ubi passus ille repulsam, copias reducit Novogardiam, ibique cum aliis reliquum anni transfigit. Verum quo nostri die Novogardiam expugnarunt, Rex Carolus quoque Calmarniam recuperaturus, confortato arcis præsidio mandat ex tormentis oppidum accendere, & flagrantem invadere, ipsem cum reliquo foris exercitu binis locis simul eandem oppugnaturus. Nec defuit principio successus molitioni, cum itâ nostri civitate potiti, hostem ex munitione sub castro construâta fugarint; Plurimos Danorum trucidarint; reliquum urbis cum bonis hostium inflamarint. Ast cum nimis diu ad prædam discurrerent, Princeps Lunenburgensis, cum exercitu superveniens Danico, illos expulit, plus quam mille suorum desiderantes.

Castra verò propè civitatem, fossis, gerris, pluteis & vallis firmata, Sueones habebant, in fossatumque à nostris occulte ductum sub hostilem munitionem, XVIII. Julii, hostes facto impetu, inde Suecos profligant, & quosdam ceciderunt. Quo præterea die abeunt Olaus Hardius & Steno Clausonius, cum nonnullis cohortibus in parochiam Liungebyensem, ubi cæsis sylvis, castra firmarunt, & omnem Dano illac commeatum aliquandiu præripuerunt. Tertium porrò munimentum habuerunt nostri sane validissimum in Grimscherio, quod XIX. Julii, hostis incursans, cum grandi suorum exitio fuit inde fugatus. Quâ occasione Rex suos in arce & classe, invisit milites, quos ad bellandum fortiter pro patria hortatus est, & illinc regressus, postridie Henrico von Kalen, Boëtio Gustavio, ac Petro Michaëlio, ad castra vocatis, in arce subrogavit Christopherum Somium, hujus hominis verba thrasonica plus æquo æstimans.

Deinde XXI. Julii, classis hostium XXVII. constans navibus, in freto comparet, in quam nostra exitu prohibita, sub vesperam irruens, in Oceanum evadit, uno solum amissio navgio, ad scopulos impacto; Nostri quoque in Grimscher illius metu perculsi, translatis hinc machinis, munitionem deseruerunt. Sed postridie, nimirum XXIII. Julii, hostis simulans nostra se invasurum castra, Sueticam occupat myoparonem, & parones aliquot cum tormentis non paucis. Postea nos terrestri pugna Dani adorti, utramque Finnorum capiunt munitiōnem, & multos ipsorum cœdunt, bona mercatorum diripiunt, ibi venum exposita, machinasque nonnullas sui juris faciunt; Non tamen impuniti abeunt, cum quidam eorum vulnera & mortem secum reportaverint, illorumque unus, Dux Georgius Lunenburgensis, per lumbos glande trajectus plumbeâ, discesserit. Igitur hujusmodi propter clades, sicut etiam quod ex mari terraque impeteretur exercitus Sueonum, postero die ad Risby fuit reductus. Somius propterea suis in castro rebus diffusus, cum hostibus cœpit colludere, quorum Ducem Stenonem Maltesonium craftino exceptit symposio.

Quamobrem ut Somius patriæ, & Regiae Majestati fuit pro innumeris

beneficiis ingratissimus perfidissimusque, ita heros ille mavorius Jacobus de la Gardie, iisdem perficit fidelissimus; Utpote qui eodem tempore Regis nomine Suecici & liberorum, fidelitatis juramentum à Novogardensibus sub dio susceperebat, istique deinceps missis quaquaversum literis & nunciis, cunctos hortabantur Ducatus incolas, ad spondendam Regno Sueciæ subjectionem. Proinde cum reluctarentur plurimi, eos armis sensim Jacobus subjugavit, & Noteburgum, Ivanogrodiū, Jamam, Coporiam & Augdoam occupavit, cæterasque Provinciæ munitiones impugnavit. Interea verò Novogardenses & his adhærentes, alegatis in Sueciam oratoribus, filium Regis Carolum Philippum sibi Ducem humiliter postularunt, quemadmodum sequentis anni testabitur historia.

Cæterum hujus anni XXIX. & XXX. Augusti diebus, Danus turrim arcis Calmarnensis australē assiduis diverberat explosionibus, ac posteriori die, quanquam CXLIV. globos in eandem contorsisset, tamen haud magni damnum momenti attulit. Quapropter fulminatione tantisper intermissa, protinus Risbygensia infestat hostis castra, & ibi accepta dataque clade non modicā, remeat Calmarniam, ac postridiē sua repetens tonitrua, CCXLIX. globis in propugnaculum contortis, partern ipsius sternit; non tamen tantam, ut per illam posset castrum invadere, quam & mox castrenses obstruxerunt. Deinde cuniculos agit, conatu etiam vano, & idcirco Calendis Augusti, consueta usurpat fulmina, CCCLXXX. globis noctu diuque arcem diverberando. Quo die Rex Carolus de statu castrensiū informatus, & subsidium rogatus, promisit infra triduum se pulveris, victualium & pecuniarum inopiæ succursurum, casuque forsitan aliquo impeditus, non misit. Atqui ut ficto, subdolo & perfido Somius animo commieatum à Regia Majestate flagitavit, cum præcipue quoad victuaria, in castro haberet plus quam ter mille orcas frumenti, & reliquorum esculentorum copiam non modicam, quam partim Rex providisset, partim cives eō secum attulissent; Ita quoque præfidiariorū Capitaneos, II. Augusti, ad suūmū conclave vocatos, fucatē admonebat, ideo fidelitatis Regi Sueonum servandæ, & arcis usque mortem propugnandæ, nè ab illis suam cum hoste collusionem & conspirationem subolfacientibus, alias forsitan caperetur vel occideretur. Successit homini dolus nefario, & quod insuper prætenderet, non plus quam sésqui cadum pulveris nitrarii restare, ac propterea saxis hostem esse repellendum, miles actutum silices, quibus area castri fuit constrata, in vallum certatim deportavit. Circa horam vero IV. pomeridianam, accitis denuo Capitaneis Somius insinuat, Danos craftinā die invasuros arcem, & cum pulvere destitutus, ipsam non posset diutius contra tantam hostis potentiam defendere, nec suppetias à Rege Carolo, sibimet consulere amplius, multò minus aliis, non valente, haud expectaret, cogi se castrum Danis cras dedere.

Ac licet quidam Capitaneorum, non ausi palam homini furioso contradicere, submurmurando responderunt, binas vel ternas prius hostium impressiones esse sustinendas; tamen ille surdā id aure suscipiens, & egrediens, suā reliquum persuasione militem seduxit præfidiarium, moxque non difficulter à Dano impetratā armorum suspensione, cum binis centurionibus ad castra hostium se contulit. Quorum gratiā Georgius Lunge, & alii duo, protinus in castrum obsides mittuntur, idque procul dubio, propterea, ne diurna Somii proderetur, & posteā multaretur cum hoste conspiratio, aut nè præfidiarii scelere collusionis animadverso, Somioque excluso, arcem viriliter defenderent. Castra igitur hostium totā nocte tympanorum fragore & tubarum clangore personabant, ibique Somius, ast in

in arce obsides, poculis usque noctis medium indulgebant. Quando unus eorum, qui Somium comitabantur, Dani literas in castrum attulit, quibus prima luce prælectis, quod continerent, Somium ultrò promisisse, & quidem cum libero præfidiariorum consensu, arcis ditionem, responderunt nostri milites, Somium mentiri. Quos placarunt obsides, affirmando in Cancellaria erratum, & per eundem rescribendo, tabellarioque redeunti occurrit Somius, per scalas cum Rege Danorum ascendens vallum, ac mox pulsato tympano, palam edicens, ut miles qui Dano nollet militari, ante solis occasum indè migraret. Sed omnis trium spacio horarum evoluto, arma & quidquid præterea valeret miles portare, secum deferens, mœstus in Oelandiam secessit, præter XXIV. quos Somius revocatos, coëgit sub pœna suspendii Dano militari. Detenti quoque fuerant, arcis præfetus, scriba, & librator; non tamen diutius quam rationes absolvissent. In signum denique victoriæ, omnia retinuit hostis castris vexilla.

Ità fortissimum Regni Suecici castrum limitaneum, III. Augusti die, citrà necessitatem Dano proditur, qui propterea Somio proditori, deinceps patria exulaturo, insigne donavit latifundium inter Lubecam & Segebergam situm, nomine Kolstorpium; navigium cum senis tormentis æneis; bona civium in castro asservata, & residua Regni Suecici victualia, præter illas ter mille orcas frumenti, ac tandem pro viatico dedit eidem thalerorum mille imperialium, torquem omittens, non auream sed canabinam, quâ jure meritissimo donandus fuisset. Cæterum arrogantibus ad Regem Carolum literis Somius destinatis, culpam illius Majestati arcis deditæ imputavit, quod promissum non misisset subsidium, & sesqui orca pulveris tanta non posset defendi munitio; Propterea Neutralium se judicum, alibi tamen quam in patria non refugere sententiam protestatur; Imo in patriam se non redditum, quam diu Nicolaus Chesnecophorus ac Ericus Elaius, in ea dominarentur, quod scribarum nollet subesse imperio; Sicut neque vellet, ipsorum instinctu, tot colaphos à Rege parum sano accipere, quot non ità pridem inflitos tulisset. In eandem fermè sententiam perscrispsit Johanni Ulfspario, insulam gubernanti Oelandicam, addens Christianum Daniæ Regem, ocreis & calcaribus indutum esse, quæ Doctor Nicolai, & Ericus Elfionius, venirent modò detractum; Simulque Johannem admonens, ut cum Danus Oelandiam esset propediem invasurus, & subacturus, tantæ ipsius potentiae, nullatenus se opponeret, si suis & insulanorum vellet rebus salutique consultum.

Porro V. Augusti die, Rex Danorum insignes castræ machinas Calmarnensis, navibus impositas, Hafniam transmisit, præter ternas quas Saxoniæ & Holsatiæ Ducibus donavit. Deinde ad gratiam Deo pro victoria solvendam conversus, proximo die Dominico, solenniter in Ecclesia doxalogion Ambrosianum curavit canendum, & concessionem latinè habendam, postridieque orator expiravit. Interim Danus Oelandicæ accinctus impugnationi, VIII. Augusti, cum tribus præfatis Ducibus, Somio & milite copioso, insulam accessit, quam, sicut & castrum Borholmense, Johannes Ulfsparius, impigre defendit aliquandiu, & tandem à suis commilitonibus derelictus, ab hosteque victus, dedidit utrumque XIX. Augusti. Postridie autem Rex Daniæ fidelitatis juramento ab Oelandis suscepito, Calmariam regreditur; Quando ibi comparens Rex Sueonum cum suo exercitu, reducem provocat Regem Christianum ad monomachiam, quam ipse detrectat, & contumeliis acriter decertat, hasque non moratus Sue-

cus, ovans ad sua remeat castra; Quæ hostis XXII. Augusti, non speratus adveniens, triduo impugnavit, multis utrinque cadentibus, de nostris tamen pluribus. Quorum Rex cladem vindicaturus, XXIV. Augusti tanto fertur in Danos impetu, ut redire cogerentur, ipsosque infestus, verbera ingeminaret. Post quatriduum tamen hostes reversi, tantum lucrantur, & nostri denuò insecuri abeunt, sed non assedit. Hollandorum interea Legati, quædam cum Rege Carolo in castris deliberarunt negotia, quos demum convivio exceptos, ad Danum remisit. Hic dubio procul, non parum suscepit doloris ex morte Maltesoniorum, quorum Steno XXVI. Augusti, & III. Septembris, Fridericus, illam obiissent.

Hactenus autem Rex Britannorum Suecis & Danis funesto se bello enervantibus, magnopere compassus, suos misit Legatos pacis ergo instaurandæ. Quibus aures Rex Carolus, V. Septembris, benevolas, & responsum, lautissimumque præbuit epulum, ad Christianum Regem postea remissis. Qui XI. Septembris in Daniam rediit, & ipsum nostri frustra persecuntur, post triduumque hostium residuos ad pugnam lacebunt, & spoliis onusti, abeunt. Quapropter Dani nostrorum se incursionibus subducturi, munitione solo adæquata suburbana, in oppido, castroque refugium captarunt XVII. Septembris. Quorum etiam multi ad hybernam in Daniam, à Suecis viam obsidentibus, prohibiti secedere, in Oelandiam se contulerunt, ubi minus fuerunt securi; Nam Dux Gustavus persuasis Oelandis, ut suum quilibet hospitem trucidaret advenam, XX. Septembris cum binis millibus illuc in silentio trajecit, & præfato incolarum auxilio insulam nocte sequenti occupavit. Istud proinde alterum fuit tirocinium ejus Celsitudinis militare, non minus heroicum, quam fuerit primum, Christianopoli editum. Tertium porro censetur, quod postridiæ castrum aggressus Borcholmense, ipsum IX. Octobris hostibus extorserit, quo melius firmato, statuque insulæ salubrius ordinato, ad parentes cum insigni revertebatur triumpho.

Cæterum in absentia filii, Rex Carolus, etiam aliis intentus Regni negotiis, publicat comitia in Novembri celebranda, & indigena milite domum remisso; sed alienigenâ per Smalandiam in hybernis relicto, XVI. Octobris, cum Duce Gustavo, aliisque non paucis, Uplandiam versus admodum æger festinat. Quocircà cum venisset Alhemium, ibi cymbæ imponitur, & Nycopiam devehitur. Quo XXVI. Octobris pertingit, viribus & loquelâ omnino destitutus. Interæ terrestri matrem itinere Dux Gustavus deducens, nocte proxima cum Principe simul Johanne illuc accedit. Elapso autem quatriduo, XXX. Octobris, circa horam diei XI.

Rex Carolus, annos natus LXI. animam exhalavit.

